

dominus est, & filio eius, sapientiae ab eo ante omnia secula genitae & spiritui sancto utriusque munerum distributori, uni deo honor, gloria, & gratiarum actio in seculorum secula. Amen.

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM CANONICAM PER
tri posteriorum ad dei gloriam & honorem, finis.

EPISTOLA BEATI

IOANNIS APOSTOLI PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

ANNOT.



1. V O D [fuit] ab initio, quod audiui-
mus, quod uidimus oculis nostris,
quod perspeximus, & manus no-
stræ contrectauerunt de[uerbo] ui-
tae, & uita manifestata est, & uidi-
mus, & testamur, & annunciamus uobis uitâ æter-
nam quæ erat apud patrē, & apparuit nobis. Quod
uidimus & audiuiimus annūciamus uobis, ut & uos
societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit
cum patre & cum filio eius IESU CHRISTO.

2. Et hæc scribimus uobis ut — gaudeatis, & gau-
dium uestrum sit plenū.] Et hæc est annunciatio
quam audiuiimus ab eo, & annūciamus uobis: quo-
niam deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si
dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, &
in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem nō
facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse
est in luce; societatem habemus adiuicem, & san-
guis IESU CHRISTI filij eius emundat nos ab om-
ni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum nō
habemus, [ipsi nos] seducimus, & ueritas in nobis
non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est &
iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet
nos ab omni[iniquitate.] Si dixerimus quoniam
non peccauimus, mendacem facimus eum, & [uer-
bum] eius non est in nobis.

erat, ἦν.

τοῦ λόγου. Hoc uocabulo
utitur in principio euange-
lij sui.

sit impletum, πεπλήρω-
μένη.

nos ipsis, οὐ τούστοις.

iniustitia, αδικία.
δόλογος.



ANC Ioannis apostoli & euangelistæ epistolam ueteres scriptam
ad Parthos (quanquam ego potius uniuersaliter ad omnes ad finem
usq[ue] mundi crediderim) memoriae prodiderunt. Tam latè diffusum
iam erat nomen domini nostri IESU CHRISTI, ut Parthi fideles
CHRISTO existentes, gloriæ eius agnoscerent. Et nō modo Parthi,
sed &

Sed & Indi, & Aethiopes, Asiani, & Afri, & Europæi, quos maxima pro parte ob-
scurauit infidelitas, & cæcauit pessimi serpentis malignitas, & nō modo cæcauit,
sed & simul leto mortiç dedit; nam ut uisio uisibilis, oculi uita est, & cæcitas eius
mors; ita fides uisio qua deus uidetur, animæ uita: & infidelitas eius mors. Has igit
tur mundi plagas omnes dignetur dominus qui solus illuminat cæcos, et uiuificat
mortuos: breui ad uitam illuminare, ut uidere possint quod euangelista Ioannes
audiuit, & quod plus est, uidit, & quod cum his omnem implet certitudinē, tactu
ipso palpauit, dicens:

Psal. 145.

1. Quod fuit ab initio, quod audiūmus, quod uidimus oculis nostris, quod per-
speximus, & manus nostræ contrectauerūt de uerbo uitæ, & uita manifestata est,
& uidimus, & testamur, & annunciamus uobis uitam æternam quæ erat apud pa-
trem, & apparuit nobis. Quod uidimus & audiūmus, annunciamus uobis, ut uos
societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre & cum filio eius
IESV CHRISTO.] Certum est Ioannem CHRISTVM seculorum regem,
& dominum, & uitam uiuētum, corporeis auribus audiuisse, oculis corporeis ui-
disse, supra pectus eius recubuisse, corporeisq; manibus contrectasse. Sed de hoc
auditu & his auribus, hoc uisu et his oculis, hoc tactu & his manibus, nequaç hic
intelligendū putem, sed potius de spiritualibus, sic spiritu CHRISTI in se & alijs
qui illum receperunt, mentes eleuante ad arcanorum diuinorum auditum, con-
tuitum, & contactum, quibus supra omnem sensum agnouit, quod in principio
erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Sed ubi Ioannes
maxime detegit de uerbo uitæ quod erat ab initio: In principio certe sui euāgelij.
In ipso (inquit) uita erat; sed & uitam æternam, cum dicit: Et deus erat uerbum.
Et quod ait: Quæ erat apud patrem, hoc est quod in euāgeliō dixit: Et uerbum
erat apud deum. Et id: Et uita manifestata est, & uidimus, & testamur, & annun-
ciamus uobis. & paulo post: Et apparuit nobis, id ipsum est quod in euāgeliō suo
dixit: Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. & uidimus gloriam eius,
gloriā tanq; unigeniti à patre, plenū gratiæ & ueritatis. Proinde hac in parte, hæc
Ioannis epistola, quædam est ἀναμνησις, & rememoratio eorum quæ sunt in suo
euāgeliō: quod iam ij ad quos scribebat, accepisse & audiuisse potuerant, in quo
pleniū annunciat de uerbo uitæ, & uita æterna quæ erat apud patrem: ubi id
est, id est erat, æternitatis nota est. Sed ad quid misit fidelibus tam sublimē euāge-
liū quod cōsonat epistolæ, & tam insignē epistolā quæ cōsonat euāgeliō? Certe
ut habeant cum apostolis communionem, sintq; simul CHRISTO incorporati
& cōuniti tanquam membra corporis suo capiti, & sint ciues & domestici dei, &
hæredes regni coelestis, & cum apostolis societatem consortiumq; habeant cum
æterno patre & filio eius redemptore nostro, domino nostro IESV CHRISTO,
sintq; pariter gloriæ eius participes. Et insuper ad eos scribit, ut relictis uanis gau-
dijs carnis & mundi, quæ nunquam satiant aut impletant, gaudeat gaudio uero &
spirituali, quod non uanum & inane, sed gaudium plenū est, ut subiungit, dices:

Ioan. I.

Ioan. I.

2. Et hæc scribimus uobis ut gaudeatis, & gaudium uestrum plenum sit.] De
gaudio pleno audierunt apostoli à domino ex Ioannis euāgeliō cap. 15. Manete
in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, si-
cut & ego præcepta patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc loquu-
lus sum uobis, ut gaudium meum in uobis sit, & gaudium uestrum impletatur. Itē
cap. 16. Vsq; modo non petistis quicqnam in nomine meo. Petite, & accipietis,
ut gaudium uestrum sit plenū. Rursus cap. 17. Hæc loquor in mundo, ut habeant
gaudium meum impletum in semetipsis. Sed hoc gaudium, hæc communio, hoc
diuinum consortium nequaquam haberi potest à nobis, nisi in luce fuerimus quæ

Cap. I. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

Ioan. 1. est CHRISTVS & uerbum eius, sanctū dei euangelium. De CHRISTO alio lo-
co dicit Ioannes: Erat autem lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenien-
tem in hunc mundum, proinde subdit:

3 » Et hæc est annuntiatio quam audiuimus ab eo, & annunciamus uobis: Quo-
» niam deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus quoniam societatem
» habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatē non facimus.
» Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus adiui-
» cem, & sanguis I E S V C H R I S T I filij eius emundat nos ab omni peccato.] Hæc
Ioan. 2. (inquit) est annuntiatio quam audiuimus ab eo: nam dominus apud Ioannem cla-
mat ad populum: Ego lux ueni in mundū, ut omnis qui credit in me, in tenebris
Ioan. 3. non maneatur. Et alibi: Qui facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifestentur opera
eius quia in deo sunt facta. Cum ergo ipse sit lux, & deus sit lux, & lux immensa,
in eo tenebræ non sunt ullæ. At quomodo tenebræ essent in eo, cum tenebræ lu-
minis & boni priuatio sit, in eo autem nihil boni deesse possit? Cū ergo ita sit; si con-
sortiū eius habere uolumus, nobis in luce, bonitate, ueritate, fide, charitate, & id
genus ambulandum est. Nam si dixerimus nos cum eo consortiū habere, & in te-
nebris, malitia, falsitate, infidelitate, carne, mutua æmulatione, & id genus ambu-
lamus: mēdaces sumus, & falsitatis operatores, imō & malī & infideles, carnales,
inuicem odientes & odibiles, & omne malum. Si autem in luce ambulamus, sicut
ipse in luce est; nos adiuvicem, id est, ipse nobiscum & nos cum eo consortiū ha-
bemus. Ex nobisipsis tenebræ sumus, ipse ex se lux est: quomodo ergo sine eius
consortio in luce ambularemus, nisi nos in eo qui ipsa lux est, & ipse esset in nobis?
Tenebræ, dei ignorantia: lux, dei cognitio. Tenebræ, malum: lux, ipsum bonum.
Tenebræ, peccatum: lux, gratia. Tenebræ, infidelitas: lux, fides. Tenebræ, caro:
lux, sp̄itus. Tenebræ, falsitas: lux, ueritas. Tenebræ, mundus: lux, deus. Quomo-
do ergo poterimus ambulare in luce, quos tenebræ peccatorum circumstant atq;
omni ex parte ambiunt & inuoluunt? Sanè ex nobis ipsis impossibile est; sed san-
guis I E S V C H R I S T I filij dei emundat nos ab omni peccato, & tenebras effu-
gat, gratiam suam, sp̄itum fidei suæ & seipsum nobis insinuans & largiens, præ-
sentia lucis tenebras absorbente, qua absente continuo ipsæ tenebrae adsunt. Pro-
inde nemo quantū est de se, cogitet se sine peccato esse: nemo se iustificet, alioqui
seipsum seducit & in peccato est, quod subiungit Ioannes apostolus, dicens:

4 » Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas
» in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat no-
» bis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniuritate.] Qui dicit se peccatum
non habere, seipsum ignorat, & est tenebra: quare ueritas quæ lux est, non est in
eo. Et etiam hoc ipso peccat, seipsum iustificādo, quod solius dei munus est: quia
ex nobis ipsis non nisi peccatum sumus, non nisi peccata habemus. Quid est enī
uetus homo ex se, nisi fomes peccati? Ex deo autem solo iustificatio. Qui dicit se
Luce 18. peccatum non habere, similis est pharisæo qui dicebat: Non sum sicut cæteri ho-
minum, raptore, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus: qui hoc ipso quod
se peccatum non habere dicebat, etiam peccatum habebat, addens peccatis pec-
catum. Ergo nostrum est peccata nostra deo confiteri. Et ipse fidelis & iustus est,
ut remittat nobis peccata nostra: fidelis quidem ut impleat promissa, qui promisit
remissionem peccatorum, & iustus, qui iustificat, qui & publicanum se humiliat,
& sepe peccatorem confitentem iustificauit. Fidelis quidem, ut in beneficio ef-
fusi sanguinis filij sui pro nobis, emundet nos ab omni iniuritate. Itaq; qui diceret
Pal. 115. se peccatum non habere, uerbo dei tanquam falso, aduersaretur, qui per prophetā
pronunciauit, quia omnis homo mēdax, ipsumq; perinde atq; mendacē duceret.
Et ipse

Et ipse dominus apud Matthæum dixit discipulis suis: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Et Lucas addit: Pro uobis. Si ergo ne apostoli quidē essent sine peccatis, pro quorum remissione se pollicetur **CHRISTVS** sanguinē suum fundere, quis audeat dicere se sine peccato esse? Qui ergo negant se peccata habere, negāt dominum pro ipsis mortuum esse, qui pro ipsis et omnium peccatis mortuus est. Propter quod subdit Ioannes:

Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & uerbum eius non est in nobis.] Quū dominus sc̄iret nos sine peccatis uitā nostrā, quantum ex nobis esset, transigere non posse, docuit nos orare ad patrem: Dimitte nob̄ debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et si dei gratia peccata nobis non imputantur, sed remittuntur, sed pr̄esentia lucis & sp̄iritus **CHRISTI** teguntur, & non imputantur: peccata tamen habemus, & in nobis manet in hac uita fomes concupiscentiarum quod est omne peccatum, sed asperstone sanguinis lotum & contritum, si hanc fidem & sp̄iritum sequamur, & nō carnem. Et ideo si nos ipsos attendimus, ut & debemus, non nisi peccatores agnoscere debeamus: quia quantum ex nobis est, solum tales sumus; cum autem iusti, non nos, sed **CHRISTVM**, sed gratiam eius attendamus, cui omnia, non nobis, accepta referamus. Quid si quis seruus à domino libertate donatus est: si se ex se attendit, quid aliud attendit quam seruum: quod si se liberum, quid aliud quam dominū, & domini gratiam quae ipsum fecit liberum: Ergo ut ueracem testemur deum, ut uerbum eius quod est ueritatis uerbum, in nobis maneat, confitemur nos nihil aliud esse quod nostrum sit, quam peccatores: quod si aliud sumus, hoc nostrum nō est, sed ipsis, & id uere sentiamus cum Paulo, quod omnes peccauerunt, & ego gloria dei, hoc est, ut glorificant deum qui solus miseretur, iustificat, & à peccatis liberat, & eius gloria est misereri & iustificare peccatores etiā gratis sua gratia & misericordia. Illi igitur omnis gloria in seculorum secula. Amen.

CAP V T S E C V N D V M.



6 **I**LIO LI mei, hæc scribo uobis ut non peccetis. Sed et si quis peccauerit, paduocatum] habemus apud patrē **I E S V O M C H R I S T V M** iustum, & ipse est propitiatio [pro peccatis] nostris: non pro nostris aut tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si [mandata] eius obseruamus. Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo ueritas non est. Qui autem seruat uerbum eius, uere in hoc charitas dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in [C H R I S T O] manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare. [Charissimi,] non mandatum nouum scribo uobis, sed mandatum uetus quod habuistis ab initio. Mandatum uetus, est

A N N O T .

postulatorem, consolatorem,
πρόσκλητορ.

pro peccatis, πρὸς ἡμῶν αὐτοῖς
τιῶμεν.
mandata, precepta, τὰς ἔντο
λάς. & infra.
nouum, οὐ νωκαὶ αὐτῷ.

eo, αὐτῷ.

fratres, φίλοι.

Cap. II. IACOBI FABRI STAPVL. COM.

- 12 uerbum quod audistis. + Iterū mandatum nouū scribo uobis [quod] uerum est, — & in ipso & in uobis, quia tenebræ [transierunt,] & [uerum lu-
13 men] iam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratre suum odit, in tenebris est usq; adhuc. Qui diligit fra-
trem suum, in lumine manet, & scandalum in eo nō
est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, &
in tenebris ambulat, & nescit quō eat, quia tenebræ
14 obcæcauerunt oculos eius. Scribo uobis filioli,
quoniam remittuntur uobis peccata propter nomen
eius. Scribo uobis patres, quoniam cognouisti
15 eum qui ab initio est. Scribo uobis [adolescētes]
16 quoniam uicisti malignū. Scribo uobis [infan-
tes,] quoniam cognouisti patrem. [Scribo] uobis
patres, quoniam cognouisti eum qui ab initio est.
17 [Scribo] uobis [iuuenes,] quoniam fortes estis,
& [uerbū] dei manet in uobis, & uicisti malignū.
18 Nolite diligere mundum, necq; ea quæ in mundo
sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris
20 in eo. Quoniam omne quod est in mundo, con-
cupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum,
& [superbia uitæ,] — quæ non est ex patre, sed ex
mundo est. Et mundus transit, et concupiscentia eius.
21 Qui autem facit uoluntatem dei, manet in æter-
num. [Filioli,] nouissima hora est, & sicut audi-
stis quia antichristus [uenit,] nunc antichristi multi
facti sunt. Vnde scimus quia nouissima hora est. Ex
nobis[prodierunt,] sed non erant ex nobis: nam si
fuissent ex nobis, permanissent utiq; nobiscum: sed
ut manifestisint quoniam nō sunt omnes ex nobis.
23 [Sed] uos unctionem habetis à sancto, & nostis
omnia. Non scripsi uobis [quasi ignorantibus] queri-
tatem, sed quasi scientibus eam:] & quoniam omne
24 mendaciu ex ueritate non est. Quis est mendax,
nisi is qui negat quoniam I E S U S est C H R I S T U S?
Hic est antichristus, qui negat patrem & filium. Om-
nis qui negat filium, nec patrem habet. Qui confiteſ
25 filium, & patrem habet. Vos + quod audistis ab
initio, in uobis permaneat: quia si in uobis perma-
nerit quod audistis ab initio, & uos in filio & patre
manebitis. Et hæc est [repromissio] quam ipse pol-
lūcitus

ANNOT.

† ab initio, ἀπ' αρχῆς.
id quod, οὐ.
trenseunt, παράγεται.
lux uera, τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν.

adolescentuli, νεανίσκοι.
pueri, παιδία.
scripsi, ἔγραψα.

ἔγραψα. νεανίσκοι.
uerbum, ὁ λόγος.

fastus uite, uictus, facultati, αλαζονία τὸ βιον.

pueri, παιδία.
ueniet, ἐρχεται, anceps.
οὐ, οὐδέ.
exierunt, ἐξήλθον.

Et, οὐδέ.
quod nesciatis ueritatem,
sed quod sciatis eam, οὐτε
οὐκ οἴδατε τὴν ἀληθινόν.
αρ, αλλά, οὐτι οἴδατε αὐτόν.

+ ergo, οὖμ.

promissio, ἐπαγγελία.

A N N O T .

Et unctione quam uos accipistis. manet, permanet.

ipsa unctione, non auctio unctionis.

sicutus est nobis uitam æternam. Hæc scripsit uobis de his qui seducunt uos. [Et uos unctionem quam accepistis] ab eo, [maneat] in uobis. Et nō necesse habetis ut aliquis doceat uos, sed sicut [unctionio eius] docet uos de omnibus, & uerū est, & non est mendacium, & sicut docuit uos, manete in eo. Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius. Si scitis quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

C O M M E N T . I N C A P . S E C U N D U M .



VO D^r prius admonuit uiarum lucis per quas ambulandum, & uiarum tenebrarum quæ diffugiendæ sunt, quod nō iustificemus nos ipsos, dicentes nos sine peccato esse, nos peccatum non habere, hæc ipse monuit, hæc scripsit, ut cautos nos reddat ne peccemus, ne peccatum ipsum quod nobis insitum habemus in actu uenire si-namus, dicens:

6 » Filioli mei, hæc scribo uobis ut non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.] Quid debet fidelis seruus qui super omnia dominum suum amat optare: nisi ut nemo dominum suum offendat: Alioqui non ipsum perfecte diligeret. Quod quū eiusmodi sit Ioannes, nihil tam optabat, quam quod sui, recenti adhuc partu in fide æditi filij nunquam deum offenderent: qui autem peccat, deum offendit. Non dicit, ut peccatum non habeant, sed ut non peccent. Nam peccatum nō habere quamdiu ueterem hominem circumferimus, nobis impossibile est: circumferimus autem quamdiu hanc mortalem uitam uiuimus. Sed peccare, est peccatum ipsum in actu erumpere: de quo Iacobus in sua epistola: Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Attamen si humana carnis fragilitate quis peccat aut peccauit, non desperet de uenia, non se respiciens, sed se totum effundens in propitiatorem IESVM, qui in cœlis est aduocatus, est mediator, est reconciliator pro nobis ad patrem misericordiarum. Etsi etiam ipsi ob iniusticias nostras uenia digni non sumus (nullus certe dignus) ipse nihilominus qui iustus & plusquam iustus est, dignus est in omnibus, & pro omnibus exaudiri. Et in eo exaudimur, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris, si misericordiam eius supplices imploramus, & oculi nostri ad ipsum sunt intenti, ut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, & non solum pro peccatis nostris (tanti fuit eius pro nobis erga nos immolatio) sed pro totius mundi, immo si infiniti essent mundi. Tantus etiam nunc est, & tantum potest apud patrem, pontifex aduocatus & intercessor noster, ut ad se conuersos, & sibi omni fiducia haerentes propitiari reconciliare posset. Sola attētio, solus respectus, & sola ad eum cohaerentia repropitiat, iustificat, saluat. ne nos alia, nec nos ipsos respiciamus nisi ut humiliemur, & nihilum nostrum intelligamus: in eo autem omne bonum nostrum & omnium. At quo indicio sciemus nos cognoscere eum, qui solus nobis est omnia, & omne bonum, aperit Ioannes dicens:

Iaco. 1.

Psal. 122.

Cap. II. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

- 7 " Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus.] Cognoscere dominum, est perfectam fidem in eo habere. Perfecta autem fides, secum habet integrum spem, & solidam charitatem: nec secus haec ab se inuicem separari possunt, quam lux, illuminatio & calor ab inuicem. Illa autem qui adsunt, mandatorum domini adest obseruatio. Indicium igitur est perfectae fidei, perfectae cognitionis CHRISTI, mandatorum eius obseruatio. Quae autem mandata CHRISTVS continent euangelia, & reliqua apostolorum scripta. Siquidem mandat CHRISTVS omne bonum & spiritus & dei, & uerat omne malum carnis & mundi. Et eorum quae mandata quisque fidelis secundum suam gratiam, & quantum ad se pertinet, adimplere debet. Nam non omnia ad omnes pertinent: quandoquidem in corpore CHRISTI uaria sunt membra. Non omnium autem omnia aut eadem officia: sed quaedam sunt omnium quae omnibus sunt communia, ut fides, spes, charitas: quaedam quorundam, quae sunt specialia, ut prophetia, quod est secundum spiritum scripturarum intelligentia, gratia subuentio[n]um & sanitatum, & similia dona. Et inditum etiam ex opposito est, eum qui non seruat mandata, non fide illa spirituali & perfecta cognoscere CHRISTVM. Vbi enim est illa fides, & spiritus CHRISTI est, per quem fide per charitatem operante adimplentur mandata: & proinde cum quis dicit se huiusmodi fidem habere, mandata non seruans, mendax est. Quod subdit Ioannes, dicens:
- 8 " Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo ueritas non est.] Recte conficitur: Qui nouit deum, seruat eius mandata, cui sententiae superior apostolicus sermo attestatur. Ergo qui mandata eius non seruat, non nouit eum, mendax igitur est cum se dicit nosse eum. Etsi fidem se habere putat, certe ea fides non est fides, nisi mortua, quae reuera non est fides. Et tales sunt qui confidentur se nosse deum, factis autem negant, qui cum dicunt: Credo in deum, & reliqua fidem dei exprimentia uerba, mentiuntur. Conuertamus igitur nos ad autorem fidei nostrae IESVM, auxilium opemque ab eo petentes ac gratiam, ut uere possimus dicere quod nouimus eum, & uere ei presentare & recitare quod a temporibus apostolorum nobis relicta est fidei symbolum, fidem nostram ueritate testari, fidem perfectam, fidem uiuam, fidem spiritu CHRISTI & charitate informantam, cuius habemus signum mandatorum eius obseruationem, quae nuncquam suas asseclas non habet spem de sursum infusam atque charitatem. Nam qui perfecta spem habet, seruat mandata: & qui perfectam charitatem, itidem seruat mandata. Et qui non seruat, nullum horum trium charismatum habet: sed sibi caro se illa habere, falso ad blanditur, semper sibi & alijs mendax. Verum habenti dabitur, & Luce 19. abundabit: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Qui ergo seruat mandata, perfectam habet spem: & qui etiam seruat, perfectam habet charitatem, immo si non perfecte sperat, si non perfecte diligit: impossibile est seruare mandata,
- Luce 10. qui primum & maximum in obseruatione mandatorum sit perfecta charitas. Dileges (inquit) dominum deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua. Et perfecta mandatorum obseruatio, magis interna respicit, totum cor, totam animam, totam mentem, totas uires internas, quam externa opera. Nam nihil prohibet hypocritas externa opera habere, qui nihil neque fidei spiritus, neque spei, neque charitatis habent. Ideo homines qui sola exteriora uident, falluntur: deum autem qui intuetur cor, fallere non possunt. Et de tali obseruatione uerbi dei subdit Ioannes:
- 9 " Qui autem seruat uerbum eius, uere in hoc charitas dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus.] Recurrunt ista in pneumaticis: Si quis nouit deum, mandata eius seruat: & si quis seruat mandata dei, nouit deum; si quis spem in deo habet,

habet, seruat mandata: & si quis seruat mandata, spem in deo habet: si cui perfecta inest dei charitas, seruat uerbum eius: & si quis seruat uerbum eius, perfecta est in eo charitas. Sed quia in carnalibus hominibus haec inesse non possunt, non est in eis nisi humana fides, & fidei quedam persuasio, sic & spes & charitas, quae neque ad inuidem, neque cum obseruatione mandatorum dei recurrunt. De talibus in sacra Apocalypsi ad angelum Laodiciæ loquitur spiritus: Quia dicas quod diues sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus: suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & uestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos ut uideas. Aurum ignitum, probatum, perfecta dei charitas est. Collyrium, internorum oculorum ut uidere possint deum, perfecta fiducia. Spes quæ ad sola cœlestia suspirat, spes alta & perfecta est, non animalis spes. Et qui unum horum habet, tria habet, & insuper eorum opera. Proinde qui perfectam dei charitatem habet, eo ipso scit se in deo esse, non se attendens, sed sublimeme donum dei in quo seipsum melius cognoscit, quam se in seipso: nam se in seipso cognoscit miserum & miserabilem, pauperem, cæcum, & nudum. In dono autem, & donorum largitore, beatum ac felicem, diuitem, & stola candida & immortalitatis & gloriæ indutum, & oculis fidei deum qui est omne bonum uidentem. Et qui in deo est, in deo manet: qui autem in deo manet, debet quemadmodum CHRISTVS qui deus est, ambulauit, ambulare, id est, CHRISTO digne, spiritualiter & diuine uiuere. Quod sanctus nobis aperit euangelista & apostolus, dicens:

Qui dicit se in CHRISTO manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.] Hæc ambulatio, est in conuersatione & in toto nostræ peregrinationis tempore, conuersationis & uitæ CHRISTI dum in terris uisus est, & cum hominibus sua ineffabili miseratione conuersatus, in fide et charitate imitatio; quam ex scriptis euangelijs, ex sancta CHRISTI doctrina, ut ex quodam diuino speculo haurire possumus. Ipse uero desuper dat imitationis spiritum. Alioqui sensus humanus non attingit, neque uere speculi imaginem agnoscit, quam abscondit deus a sapientibus huius mundi, & eam reuelat paruulis. Et certum est CHRISTVM in nullo secundum carnem, sed in cunctis secundum spiritum ambulasse: quare si uolumus eum imitari, necesse est nos solummodo secundum spiritum ambulare. Ad scriptum igitur mittit eos Ioannes ad quos scribit, id est fideles: quod est euangeliū quod a principio illis annunciatum est, ut uere possint sicut CHRISTVS ambulauit, & ipsi ambulare, dicens:

11. Charissimi, non mandatum nouum scribo uobis, sed mandatum uetus, quod habuistis ab initio. Mandatum uetus, est uerbum quod audistis.] Id autem mandatum quod ipsi a principio accessus sui ad fidem, & regenerationis gratiam auiderunt, sanctum CHRISTI euangeliū est. Sed & aliud mandat eis, quod nouum est. Quid nam eis mandat? Veritatem quæ in CHRISTO est, per euangeliū ueram lucem in ipsis esse. Et ait:

12. Iterum mandatum nouum scribo uobis, quod uerum est, & in ipso & in uobis: quia tenebrae transierunt, & uerum lumen iam lucet.] Mandatum nouum scribit eis: scilicet id quod in CHRISTO uerum est, in ipsis etiam uerum esse, cuius rei causam subdit: quia tenebrae transierunt, & uerum lumen iam lucet. Umbrae & obscuritates ueteris legis discussæ sunt, & lumen euangelicæ ueritatis obtinet. Tenebrae carnis euictæ sunt, & lumen spiritus rutilat. Tenebrae peccatorum transierunt, & lux gratiae micat. Tenebrae errorum per uniuersum mundum (ubi euangelium receptum est) eliminatae sunt, & doctrina rectæ uiae; doctrina lucis, doctrina uitæ & ueritatis illuminat. Dico ubi euangelium receptum est: nam in-

credulis & incedentibus in tenebris, nondum receptum est: et si ad ipsos peruerterit. Proinde subdit Ioannes:

13 » Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usq; adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo nō est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quid eat, quia tenebrae obcæcauerunt oculos eius.] Si fidelis fidelē odit, lumen C H R I S T I in eo nō est; imo et si fidelis sit nomine, re ipsa & opere infidelis est. Et quomodo in eo esset

Ioan. 11. lumen C H R I S T I, qui mandat: Diligite inuicem sicut dilexi uos: Ipse nos sp̄iritu dilexit, & nos inuicem sp̄iritu, non carnali amore diligere debemus: & tunc scandalum in nobis non est, cum haec dilectio neminem offendat, & à nemine offendatur. Qui odit fratrem, eo ipso quod odit, infidelis est: perinde ac malus seruus, qui præceptum domini sui nō facit, imo oppositum, infidelis seruus est. Etsi ad ipsum lux euangelij peruenit, receptum ab eo non est, sed hostium mentis illi occlusit. Haud secus quād si tibi in obscuro loco obambulāti at clauso, lumen adferatur, & audias quidem lumen ad te delatum, nisi aperias, in tenebris remanebis: si autē illatum fuerit lumen, & intrò receptum, non poterit nisi lucere, nec tu poteris nisi in sensibili illa luce ambulare: sic est de euangelica luce admissa atq; recepta. Vbi ergo non lucet, ambulatur in tenebris: & ob tenebras oculorū mentis, non est lux illa in mente recepta, sed nuncius & pulsus duntaxat auditus est, & non patuit ingressus. Ad uere ergo fideles qui non solum audierunt allatū lumen, lumen euangelicum, lumen dico ad illuminationem gentium, sed intrò admiserunt, scribit Ioannes quæ sequuntur:

14 » Scribo uobis filiolī, quoniam remittuntur uobis peccata propter nomē eius.] Quod ait filiolī, uehementiam dilectionis sp̄iritualis erga ipsos insinuat, ut carnis pater, teneritudinem paterni pectoris insinuat, cum proprium filium, ^{tertium id} est filiolū nuncupat. Verum est quod haec nomenclatura, adhuc tenellis secundum carnem & paruulis magis conuenit, qua & patres carnis illis ad blandiri solent. Sic & de paruulis in C H R I S T O & neophytis, quibus & in lauacro sacræ abolitionis dimittuntur peccata: hoc Ioannis apostoli intelligi potest, ubi mandat & nunciat eis peccata quæ contrixerāt remitti, sed non propter opera sua, aut quod quicquam benemeruerint, uerum propter nomen Christi, ut beneficij semper respiciant autorem, & non se ullo pacto attendant. Nam nihil habuerunt propter quod peccata eis remitterentur: sed est nobis omnia Christus, non solum uenientibus ad fidem, sed & senescentibus in fide, & per omnes fidei transeuntibus æta-tes. Quod sensim per singulas consequenter monstrat Ioannes, subinde dicens:

15 » Scribo uobis patres, quoniam cognouistis eum qui ab initio est.] Qui sunt patres, nisi senes in fide, & qui iam multos fidei filios procreauerunt: Et qui nullum patrem iuxta doctrinam euangelicam cognouerunt, nisi patrem æternum, qui filium suum unigenitum misit in mundum, & ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quem in sanctis conuersationibus diuine uiuendo imitati sunt. Deinde subdit:

16 » Scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis malignum.] Qui sunt adolescentes, nisi qui in fide proficiunt, & incrementa perfectionis suscipiunt, insultus tamen maligni adhuc per carnem habentes: & hi uicerunt malignum: non ex se quidem, sed ex fide quod est diuinum & coeleste donum, propter dilectionē quæ deus in Christo filio suo ob dispensationem carnis assumptæ, similis nobis facto diligit nos indultum. Deinde adiicit:

17 » Scribo uobis infantes, quoniam cognouistis patrē. Scribo uobis patres, quoniam cognouistis eum qui ab initio est.] Infantes siue pueri in Christo, sunt qui adhuc

Math. 23. Roman. 8.

adhuc lacte fidei, minusq; solido cibo aluntur, qui patrē regenerationis nouerūt, id est deum agnouerunt. Dedit enim (inquit) potestatem filios dei fieri, ijs qui nō Ioan. 1.
ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, necq; ex uoluntate uirū, sed ex deo nati sunt; qui prius solum patrem carnalem, terrenum, mortalem agnouerant: & hoc in nomine C H R I S T I dilectissimi filij dei cōsequuti sunt, omnia omnes in C H R I S T O consequuntur. Patres autem sunt adulti & senes in fide, ut Numero 15. dicitum est. Subdit insuper:

18. Scribo uobis iuuenes, quoniam fortes estis, & uerbum dei manet in uobis, & uicistis malignum.] Iuuenes sunt qui omnino fortes & ualidi in fide sunt, & hī mente, id est, sp̄itu & gratia robusti, ut ætate iuuenes uiribus corporis ualidi. Quod si adolescentes uicerunt malignum, tanto magis iuuenes qui fortitudine sp̄iritus sunt ualentiores, & armatura fidei, nullo aduersæ potestatis tenebrarum telo penetrabili muniti. Hanc tamen uictoriā proprijs uiribus non tribuunt: sed uerbo dei quod manet in eis, id est fidei, & auctori eius qui hanc illis fortitudinem & fidei πανοπλίαν desuper benignissime indulxit. Et hī tres, adolescentes, infantes, iuuenes, medi sunt inter neophytes, quibus primum peccata dimituntur, & patres qui senes in C H R I S T O sunt & spirituali prole foecundi: suntq; hī gradus quasi ætates fidei & uere fidelium: Neophyti, infantes siue pueri, adolescentes, iuuenes, patres siue senes. Post hæc dat Ioannes præcepta, ne fidei incrementa præpediantur, sancta generatio inquietur, & imitatio peruerat. Quorum primum est huiusmodi:

19. Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diliget mundū, non est charitas patris in eo.] Fieri non potest, ut quisquam contrarijs simul diligat amoribus, ut neq; simul potest in contraria ferri. Amor autem dei, & amor mundi, contrarij sunt. Ille purus, sanctus, spiritualis, uiuificans, simplex, cleuans, & in deum transformans; hī impurus, prophanus, mortificās, uarius, deprimēs, & reparatam dei imaginem deformans. Illo in cœlis, pulchris, aternis, luciformibus iugiter oculus noster interior in libertate uersatur, socius angelorum factus: hoc, in terris, foedis, caducis, tenebrosis, tanquam tetro in carcere seruus detinet, socius malignarum potestatum factus. Quid ni igitur prohibeat Ioannes filios suos quos ad spiritualem uitam educat, diligere mundū, & ea quæ in mundo sunt, quū sic amantium amor sit carnalis, filiorum autē spiritualis? quū sic amantibus, imò potius amentibus, amor aeterni patris, amor coelestis, amor uiuificans inesse non possit: quum & omnis anima quæ hoc amore non amat, mortua sit; Sed quæ sunt in mundo quæ nos diligere uetat continuo aperit, dicens:

20. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia uitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia eius.] Nomine mundi, mundanos & carnales intelligimus. Et ad tria summatim reducit ea omnia quæ hoc modo in mundo sunt, qui à suæ creationis origine syncerus & mundus, à sua puritate ueneno maligni corruptus excidit ad illa tria, scilicet, ad luxum carnis, quæ foeda est carnis uoluptas, & quam appellat concupiscentiam carnis. Ad auariciam, quæ est opum congerendarum insatiabilis uorago, quam & appellat concupiscentiam oculorū. Nam ut de auaro inquit Ecclesiastes: Non satiantur oculi eius diuitijs. Et alibi: Insatiabilis oculus cupidū. Et ad fastum ac ambitionē quæ est uanorum honorum, ut regnandi, dominandi in mundo uanissima cupido, quā nunc cupat superbiam uitæ. Quicquid enim homines carnales, mundani, animales secundum carnem & concupiscentias mundi ambulantes faciunt, aut faciunt propter foedas carnis uoluptates, aut propter damnosas opes & diuitias, aut propter

Ecclesiastes 4.
Ecclesiastici
¶4.

uanum fastum, & uitæ splendorem qui ad momentū pertransit. Si deum non amas & proximum, hoc ideo est quia foedas uoluptates amas, aut transitorias diuitias, aut falsos mundi honores. Si deieras nomen dei, ob aliquod horum facis. Si furtū facis, ob id ipsum. Si homicidium, nihilominus. Hic uenenum porrigit, ut principem è throno deificat, hoc ad superbiam uitæ. Ille loculis inhians, diuitem encat, hoc ad oculorum concupiscentiam. Alius insidians thoro, uirum insidijs auffert, hoc ad concupiscentiam carnis. Neç alius reperias in filijs tenebrarū quam horum aliquod, nunc seiunctum, nunc alijs aut alijs coniunctum. Concupiscentia carnis sulphur est, quo foent, et in plerisq; palus est Asphaltis, qui est Sodomorū lacus, & quo iam inferni præueniunt foetores. Concupiscentia oculorum, ignis, iam in hoc mundo animas exurens, & ignem præcurrens gehennalem. Superbia uitæ, maligni flatus in altum aliquod mundi supercilium attollens, ut inde præcipitet in inferni profundū. Sicut Esaias de rege Babylonis ait: Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, operimentū tuum erūt uermes. Et subditur: Veruntamen ad infernum detrahēris in profundū laci, ubi (ceu uerisimile est) erit plusquam dici potest, aut cogitari, pro uoluptate, tristis & intolerabilis tristitia; pro diuinitijs, in insatiabili igne egestas: pro mundana eleuatione & gloria, profundissima deiectio & perpetua ignominia. Quare: Quia hæc nō sunt ex cœlesti patre, sed ex mundo. Mundus autem transit & concupiscentia eius, quia mundus contrarius est deo, & concupiscentia mundi, deo inimica; & utrumq; uanitas: deus autem ueritas, quæ nunquam transit. Ideo subdit Ioannes:

Esa. 14. 21. Qui autem facit uoluntatem dei, manet in æternum.] Fac uoluntatem mundi, qui transit & interit; transibis & interibis in æternum. Fac uoluntatem dei qui nō transit, non interit, sed perpetuo manet summum & incomprehensibile bonum; & nunquam transibis, nunquam interibis, sed in plenitudine inexcoigitabilitiū bonorum manebis in æternum. Voluntatem autem patris faciunt filij lucis, mundo mortui, uiuentes deo. Vita mundi, concupiscentia: uita dei, sp̄ritus. Cum ergo mortui sint mundo, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia uitæ in eis extincta & mortua sunt, nullus foetor carnis illos coinqūnat: sed thure sp̄ritus, sancta oratione, & casto corde redolent ante deum, quæ charitas sp̄ritus cœlestis quidem ignis, non ignis concupiscentiarum aut diuinitiarum adolet. Profunda humilitas ante deum, et suūpsius annihilationis facit, ut nullum eos subruere possit præcipitum. Ut enim qui superbia tolluntur in summo, præcipitantur: sic quos uera humilitas collocat in imo, sursum attolluntur. Si terrenus es, quamvis spiritualis cœlestisq; uita quam C H R I S T V S & apostoli nunciant, sit omnino tuæ uitæ contraria; illam tamen uidere, id est intelligere nō potes, quia cœcus es, & in tenebris mentis & intelligentiæ detenus. At contrā, spiritualis prorsus cognoscit quā ab omnib; sit terrenorum uita: quia in lumine est. Vidēs enim, miseriam cœcorum intelligere potest: at cœcus, quæ uita sit uidentis non potest apprehendere. Filiorum lucis uita, habitus est, aut potius quedam uiua energia. Filiorum tenebrarum uita, priuatio, & ad omne bonum inefficacia. Hi uoluntatem mundi: illi uoluntatem patris, id est dei semper faciunt. Hi transeunt ut fumus, illi manent in æternū. Excitemini ergo terreni, carnales: incurui erigamini, erectis patet cœlum. Cœci clamate ad dominū, quia dominus illuminat cœcos: ut possitis cernere lumen uerum, & uestras discutere tenebras, & uoluntatem patris facientes manere in æternum. Quid mortem, quid tenebras, & nō potius uitam æternam & lucem diligitis immensam? Nos omnipotens dominus ad sua regna uocauit: nos ex nobis solis perimus, sicut dicit dominus in Osee 13. Perditio tua ex te Israël: tantummodo in me auxilium tuum. Consequenter autem Ioannes suos admonet eorum

Psal. 145. & quæ

& quæ tunc erant, & quæ irnouissimo tempore futura erant. Nam audierant antichristum uenturum qui maxime aduersaretur C H R I S T O , & contraria euangelio sanciret. Sed & tunc erant filij quidam sathanæ & perditionis, qui cōtraria euangelio, quæ sola est doctrina uitæ & salutis, inducere molirentur. Et ideo nouissimum tempus iam incipiebat, & præcurrebat futurus antichristus in conformitate illorum uitæ atq; in similitudine. Ideo subiungit:

22. Filioli, nouissima hora est. Et sicut audistis quia antichristus uenit; nunc antichristi multi facti sunt. Vnde scimus quia nouissima hora est. Ex nobis prodierūt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permanissent utique nobiscum. Sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.] Horam ponit Graeci pro tempore. Et id δὲ ἀντιχριστούς εἶπεν, iustius interpretatus fuisset: Veniet autem uetus est, quod εἶπεν, utroq; tempore & præsenti & futuro usurpari soleat: hic autem magis sensus exigitur futuri. Et tunc multi antichristi erant, qui uiuebant contra euangelium, & docebant cōtraria euangelio, qui & ad baptismū uenerant, sanctorum associati numero: ideo ex ipsis, id est societate fidelium prodierant: sed non erant ex ipsis, quia ipsi erant electi, & uere fideles: illi uero neque erant electi, neq; fideles, alioqui uixissent secundum euangelium, & credidissent euangelio. At neque uiuebant secundum euangelium, quia uixissent secundum spiritum Christi, illi autem uiuebant secundum carnem aut sathanæ spiritum: neq; credebant euangelio, nam sine spiritu dei credere euangelio impossibile est, sed se electorum cōtui adiungentes, & fidem Christi promittentes, lingua sua mentiti erant deo: ut Simon Samarites, ut Cherinthus, ut Marcion, ut Hebion, primi inter infideles primogeniti sathanæ. Et hi antichristi, post quos per spiritū Christi alius insignis significabatur futurus antichristus, qui dicitur homo peccati, & filius perditionis, qui siue sit Machumetes cum sua bestiali secta, siue alius, aliāue secta, alijs relinquo qui ad hoc iudicandum habent spiritum. Non, inquit, erant ex nobis, id est (ut dictum est) ex electis: nam qui uere electi sunt fideles, iuxta uocationem & electionem suam uiuunt & permanent. Qui autem secus (etsi inter electos uerentur, & de illis exeant) non tamen sunt ex illis, alioqui secus uiuerēt, & nunquam ab instituto euangelico discederent, sed in ipso iugiter permanerēt: sed illi ad hoc ipsum exeunt, ut manifesti sint qui inter eos qui dicuntur fideles, electi sint, & qui non, qui filii Christi, & qui filii diaboli. Non satis est dici fideles: nisi uere & re ipsa sint fideles. Quæ scribebat Ioannes ad fideles non quia hæc ignorarent, maxime qui spiritum fidei acceperant, & unctionem à spiritu sancto: sed quod illi refugæ, etsi exteriorem lotionem acceperant, nō tamen nouerant internam, quæ est unctionem à sancto, neq; uas recipiendo spiritui sancto aptum, ad latauacrum attulerant, quales sunt omnes, qui unctionem internam non sentiunt. Idcirco subdit Ioannes:

23. Sed uos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia. Non scripsi uobis quasi ignorantibus ueritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex ueritate non est.] Beati qui christima, id est unctionem à C H R I S T O & spiritu eius accipiunt, quo omnia quæ ad diuinam cognitionem, fidem, pietatem & salutem pertinent edocentur. Qui hanc unctionem accipiunt, comparticipes sunt eorum de quibus dicitur: Paracletus autem spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcumq; dixerim uobis. Et hi nō seducunt, neq; seducunt, quia ueritatē norūt, & unde sit ipsa, quia à deo qui est ipsa absoluta ueritas. Et nouerunt quod mendaciū à ueritate non est: ut tenebræ à luce, uitium à bonitate, peccatum à gratia, & iniurias à iustitia. Ergo qui mendax est, id non est ex ueritate, Ideo subdit Ioannes;

Ioan. 14.

Cap. II. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

24. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam IESVS nō est CHRISTVS? Hic est antichristus, qui negat patrem & filium. Omnis qui negat filium, nec patrem habet: qui confitetur filium, & patrem habet.] Quem dixerimus mendacem, nisi eum dixerimus, qui sic negat quod IESVS sit CHRISTVS, quod IESVS sit Messias promissus; id ipsum uult Ioannis loquendi tropus. Qui certe sic negat, dicens: IESVS non est CHRISTVS, negat patrem eius esse deum. Et qui negat patrem, negat IESVM esse dei filium. Negat inquit patrem, qui de IESV testatus est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Negat filium, qui Matth. 17. de patre & seipso dixit: Haec est autem uita æterna, ut cognoscāt te solū deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Et quid n̄ esset antichristus CHRISTOCVS aduersarius, qui sic negat? Qui cum neget filium, patrem perdit; nam omnis qui Matth. 10. negat filium, non habet patrem, dicente domino: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Et contrā qui confitetur filium, hic quoq; patrem habet, dicente domino: Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum corā patre meo qui in cœlis est. Quid igitur restat nostræ saluti? Nihil sane. Stemus duxit taxat immoti & in concusso in ihs quæ ab initio nostræ uocationis ad CHRISTVM, audiuius quod IESVS est CHRISTVS, quod Iesus est filius dei, & deū per ipsum habebimus patrem, & filium eius nostrum redemptorem. Stemus euangelio, & credamus ei. Ad quos & eos hortatur Ioannes, inter quos erant aliqui filij mendaci, aduersarij CHRISTI, & animarum seductores, dicens:
25. Vos quod audistis ab initio, in uobis permaneat: quia si in uobis permanerit quod audistis ab initio, & uos in filio & patre manebitis. Et haec est repromissio quam ipse pollicitus est nobis, uitam æternam. Haec scripsi uobis de ihs qui seducunt uos. Et uos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in uobis. Et non nescie habetis ut aliquis doceat uos: sed sicut unctionis eius docet uos de omnibus, & uerum est, & nō est mendacium. Et sicut docuit uos, manete in eo.] Nullius rei, nullius doctrinæ, nullius sciætiae auditio saluat: nisi auditio fidei & doctrinæ euangelicæ. Quia est semen uitæ, quod Christus qui est uita, seminauit in cordibus eorum qui sunt suæ partis, quod contrarium est & antidotum aduersus semen mortis, quod diabolus qui mors est seminauit in corde Adā, & in ihs qui sunt suæ partis, id est primæ & carnalis generationis. Semen autem uitæ nisi maneat ubi seminatum est, non affert fructum: & cum uolucres cœli, id est diaboli, tollunt illud, cum arescit in corde saxeo, aut cum uepres aut spinæ curarum & solitudinum mundi suffocant illud. Ergo in his firme manendum est, quæ à principio audiimus, quæ cœlestis pater qui est mentium agricola, per filium seminauit: unde nobis inæstimabile bonū pendet, scilicet cum patre & filio permanentia: & nos fructus omnium preciosissimus manet, qui est uita æterna. Nam filius qui est ipsa ueritas, ipse nobis eam promisit, dicens: Haec est uoluntas patris qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et rursus: Oves meæ uocem meam audiunt, & ego cognoscō eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, & nō peribunt in æternū. Et hanc uitæ æternæ promissionē apostoli audierunt, & ipsi nobis fidelissimi sunt testes. Cur autem hanc permanendi in ihs quæ à principio audierunt, ad eos scripsit exhortationem, causam adhibet Ioannes, hoc ipsum fecisse ratione seductorum qui ab electis exierant, sed non erant ex ipsis, quorum etiam nonnulli seducendi, id est proprij dogmatis inducendi gratia, dicebant se ab apostolis audiuisse quæ non audierant, qualia Papias Hieropolitanus multa confinxisse scribitur. At ipsis ad quos scribebat nondum erāt corrupti, sed unctionē à Christo acceperant, id est
- Math. 13. 10. 10.

id est, spiritus sanctus manebat in eis. Et ideo nō scribebat ut eos doceret (quis em̄ doceret à spiritu sancto doctos) sed eos seductorū duntaxat admoneret. Sufficiebat enim, & plusquam sufficiebat ipsa unctio, ad ipsos docendum perquam sufficienter; quia uerax est, & minime omnium mendax. Et ut quemadmodū eos sancta unctio de CHRISTO docuit, in eo permaneant perseverentq;. Constanter em̄ docuit CHRISTVM esse dei filium, & omnē ueritatem. Sic dominus prædixerat dicens: Cum autem uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Ioan. 16.

Et in cœtu fidelium tres gradus sunt, incipientes, proficientes, et perfecti. Incipientes, & proficientes, adhortatione adhuc egent, cum periculum ingruit; perfecti autem non. Et omnes hi unctiones habent, incipientes quidem minus radicatam, non ex conditione unctionis, sed ex imbecillitate suscipientis; deinde fortius in proficientibus hæret, firmissime autem in perfectis. Pro incipientibus igit̄ & proficientibus, maxime præcedē posita est exhortatio, et si quæ alia ponuntur. Verum nunc pauci incipientes, pauciores proficientes, & paucissimi perfecti. Vnde fermè nostra ætas non solum exhortatione, sed maxime doctrina eget, & id urgentissime implendum domini uerbum: Prædicate euangelium omni creaturæ, ut quæ uix unctionis à sancto sensum habeat, præter eam quæ foris adhibetur in signū uiuæ & internæ unctionis quæ à spiritu sancto est, unde uncti, id est CHRISTI dicimus non ab externa, ut confortes & comparticipes CHRISTI simus, de quo scriptum est: Vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiae præ participibus tuis. Petrus & Paulus, & primi primitiæ ecclesiæ fideles in baptisme interna unctione uncti sunt, & arbitror sola, ut CHRISTVS qui externa non est usus, posteriores addiderunt externam in signum, sed illa non sumus similes CHRISTO, neç illa docet omnia, det oībus internam Christus. De quo subdit euangelista:

26. „ Et nunc filiolí manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & nō confundamur ab eo in aduentu eius.] Quād diu fides uiua CHRISTI est in nobis manemus in eo. O mansio felix, O secura & beata quies in deo manere: quia cum apparuerit siue in aduentu particulari in egressu nostro ex hoc mundo in alterū, siue universali cum in maiestate iudicaturus orbem adueniet, si in eo manserimus, plenam in eo habebimus fiduciam quod confundī non poterimus. Et quid mirum: cum ipse sacro ore de ouibus suis dixerit: Et non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Sed docet nos opere ipso implere iustitiā quæ est lex à diuina patris uoluntate profecta, quod subdit Ioannes, dicens:

27. Si scitis quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis qui facit iustitiā, ex ipso natus est.] Omnis fidelis nouit CHRISTVM esse iustum, imò solum eminēter, & etiam plus quam eminēter iustum, qui de deo patre dicebat: Ego quæ placita sunt ei facio semper. Et alibi: Venit enim princeps mundi huius, & in me nō habet quicquam, sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Iustitia ergo, est facere quod nobis in euāgelio mandat faciendum, quod nemo facit, nisi qui ex deo natus est: nam solus talis spiriti fidei accepit, per quem operatur iustitiam & opera fidei, per quam iustificatur. Ergo ut uerè sciamus et cognoscamus quia ex deo nati sumus, nunquam ab euangelica doctrina discedamus, nunquam à uoluntate patris facienda, quod sanctum continet euangelium, & beneplacita patris & filij faciemus semper, & utriusque mandata seruabimus: quia beneplacita patris, sunt beneplacita filij, et mandata patris, mandata filij. Et haec est iustitia, & hoc iustitiam facere, per quod uere cognoscimus quod ex deo nati sumus, & conuersatione & uita quodammodo similes proprio, connaturali & cōsubstantiali filio dei, qui uoluntatē patris facit semper. Cui cum filio, & spiritu sancto honor, decus, & imperiū in secula seculorū. Amen.

Marci 16.Psal. 44.Ioan. 10.Ioan. 8.Ioan. 14.

CAPVT TERTIVM.

- 28  IDETE qualem charitatem de-
dit nobis pater, ut filij dei nomi-
nemur & simus. Propter
hoc mundus non nouit [nos:]
quia non nouit eum. [Charis-
simi,] nunc filij dei sumus, & nondum apparuit
quid erimus. Scimus quoniā [cum apparuerit,]
similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti
31 est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, [san-
32 ctificat se, sicut ille sanctus est.] Omnis qui fa-
cit peccatum, & [iniquitatem] facit; & peccatum
33 est iniquitas. Et scitis quia ille apparuit ut pec-
cata tolleret, & peccatum in eo non est. Omnis
qui in eo manet, non peccat.
34 Et omnis qui peccat, nō uidit eum, nec cognoscit
35 eum. Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iu-
36 stitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui fa-
cit peccatum, ex diabolo est; quoniam ab initio dia-
37 bolus peccat. [In hoc] apparuit filius dei, ut
38 dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est
ex deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius
in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex
39 deo natus est. In hoc manifesti sunt filij dei, &
40 filij diaboli. Omnis qui non [est iustus,] nō est
ex deo, & qui non diligit fratrem suum, quoniam
haec est annuntiatio quā audistis ab initio, ut di-
ligatis [alterutrum.] Non sicut Cain, qui ex mali-
gno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid
occidit eum? quoniam opera eius maligna erant:
41 fratris autē eius, iusta. [Nolite mirari fratres,]
42 si odi uos mundus. Nos scimus quoniam trans-
lati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus
43 fratres. Qui non diligit, manet in morte.
44 Omnis qui odi fratrem suum, homicida est.
Et scitis quoniam omnis homicida non habet ui-
45 tam æternam in se manentem. In hoc cogno-
uimus charitatem dei, quoniam ille animam
suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fra-
46 tribus animas ponere. Qui habuerit [substan-
tiam] huius mundi, & uiderit fratrem suum [ne-
cessitate] cesse]

ANNOT.

uos, uimac.

& γαπητοι, et infra.

si apparuerit, ε&ρ φανερωθη.

purificat se ipsum, sicut & ipse
purus est, ογνιζεται τοπ, καο
θως εκενος ογνος θει.
legis transgressionem. τιλω ανο
μιαρ.

Ad hoc, sūs τοπ.

facit iustitiam, ποιῶ μηδεπο
ενύκη.

inuicem, αλλήλους,
& infra.

mei, μου.

uictum, τοπ βιον
necessitatem, ιχνιαρ.

cesserit habere, & clauserit viscera sua ab eo: quo:
48 modo charitas dei manet in eo. Filioli mei, non
diligamus uerbo neque lingua, sed opere & uerita-
tate. In hoc cognoscimus quoniā ex ueritate su-
mus, & in conspectu eius [suadebimus corda no-
49 stra.] Quoniam si [reprehenderit] nos cor no-
strum, maior est deus corde nostro, & nouit om-
50 nia. Charissimi, si cor nostrum non reprehen-
derit nos, fiduciam habemus ad deum, & quic-
quid petierimus, [accipiemus] ab eo, quoniam
[mandata] eius [custodiamus], & ea quae sunt
51 placita coram eo, facimus. Et hoc est manda-
tum eius, ut credamus in nomine filij eius I E S V
C H R I S T I, & diligamus alterutrum, sicut dedit
52 mandatum nobis. Et qui seruat mandata eius,
in illo manet, & ipse in eo. Et in hoc scimus
53 quoniam manet in nobis, [de spiritu] quem de-
dit nobis.

A N N O T.

confidere faciemus cordano-
stra, confidemus cordibus no-
stris; πείσομεν τὰς καρδία-
ς ἡμῶν. condemnat, κατα-
γινώσκει. & infra.

accipimus, λαμβάνομεν.
τὰς ψυχές. & infra.
seruamus, της ψυχής.

ex spiritu, ἐν πνεύματος.

C O M M E N T . I N C A P . T E R T I U M .



N D I C I V M est quod sumus filii dei, si uoluntate & mandata eius implemus, sicut C H R I S T V S filius dei in mundo conuersatus im- pleuit, nos ad hoc suo exemplo instituens, & iustitia sua nos sanctificans. Sed unde hoc ut rex ille incomprehensibilis maiestatis, sub limitate inaccessibilis, & potestate ineffabilis uoluerit nos sic hono- rare, ut filii eius nominemur & simus, quo nullus honor creaturæ accedere potest maior? Quid fecimus unde hoc nobis debeatur? Nihil prorsus, sed fecimus unde nobis summa ignominia debere & confusio. Sed hæc sola summi patris fuit bo- nitas, & eius infinite bona uoluntas, qui uoluit proprium filium hominē fieri, & nobis natura excepta (ut sic dicam) peccantia fieri similem. In quo quidem nobis simili facto sic nos dilexit, tantamq; exhibuit charitatem, ut filii dei nominemur et simus, quod totum illi acceptum referre debemus. Et hæc est ineffabilis dei bo- nitas, & quæ excogitari non potest immensa erga nos in filio dei hominē facto pa- tris charitas. Ad cuius considerationē, ut in illa bonitate & erga nos dei charitate mens nostra liquecat, inuitat Ioannes, dicens:

28. Videte qualem charitatē dedit nobis pater, ut filii dei nominemur & simus.] Quis illi charitati qua nos pater æternus filios suos fecit, in charitate respondeat, nisi solus filius, qui deus & homo est, pro omnibus respondeat hominibus? imò si omnes homines simul sic charitate feruerent, ut præ uehementia illius in nihilum liquecerent: ne minima quidem particula esset illius charitatis, qua filius dei pro insufficientia hominum, fratrum quidē illa immensa dei erga nos benignitate suo- rum, patri satisfacit. Attamen uult nos pro nostra uirili & nostro captu in chari- tate et si finiti filij, infinitam filij sui charitatem æmulari, etiam longe supra nos id largiēte spiritu eius. Sed an mundus cognoscit filios dei? Minime. Mundus filios suos cognoscit, & patres carnalis generacionis: patrem autē diuinæ generationis

O

Cap. III. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

nec mundus nec filij eius norunt, sed ignorant, & generationem illam: quia non à mundo est, sed est mundo sublimior: non carnalis, non terrena, non uisibilis: sed spiritualis, cœlestis, inuisibilis. Propter quod subdit Ioannes:

29. " Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum.] Mundus (ut dictū est) mundani sunt homines, ut uoluptuosī, auari, superbi et ambitiosi. Et nemo filios dei nouit: nisi qui nouit deum qui pater est. Nolle deum patrē quis potest sine fide filij dei, qui est huius generationis autor? Quare in mundo sunt, sed nō sunt ex mundo. Soli filij dei, filios dei norunt, qui et si sint in mundo, similes externo aspectu filij mundi, non tamen sunt de mundo, sed interno decore similes sunt filio dei quād diu passibilis uersatus est in mundo, peregrini & peregrinationē eius imitantes, non secus per regenerationis fidem & gratiā filij dei, quād ille in mundo filius dei erat per naturam. Et cum extra mundum fuerimus, illi assimilabimur in gloria, et illi cōformes erimus: tametsi quales futuri simus, hic nos lateat. Quod subdit Ioannes, dicens:

30. " Charissimi, nūc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est.] Hæc est uoluntas patris, ut peregrini filij eius imitentur filiū eius dum fuit peregrinus, dura patientē & aduersa, pīj līnt, mītes, patientes, in omnibus deo obedientes usq; ad mortem, etiam si oportet, confusissimam, & iugiter crucem suam portantes, nihil à filij mundi differentes nisi sola conuersatione & innocentia uitæ, & parem cum C H R I S T O ad immortalitatis delicias sortiētur exitum, de carcere mundi ad regnum lucis tandem translati, Christiformes effecti, deum ex præsentia cognoscētes, & non amplius per uelamen, umbras & figurās, sicuti & nos à deo cogniti sumus. Filij autem mundi in tenebras mittētur exteriores, serui mortis perpetuæ, cæcitatis ignorantia damnati. Nos liberi in summa summæ felicitatis libertate: isti serui, in summa summæ miseriae seruitute, serui cruciatibus & nunquād finientibus poenis. Ergo tanti honoris à tanta summæ maiestatis bonitate nobis collati, & in futurum uberius conferendi, & tantæ charitatis rationem habentes: uita ho-

31. " Psal. 147. nori quo nos dignatur habeamus consonam (non enim taliter fecit omni nationi) & charitati qua nos diligit coaptemus, conformemusq; nos per omnia, quantum non quidem ex nobis, sed ex gratia eius possumus, in eum spem nostram penitus cōcidentes, ut ipse suam in patrem: quia si hanc futuri status nostri, & glorioſæ cū C H R I S T O conformitatis, nō ex nobis, sed ex charitate dei erga nos propter ipsum, spem habuerimus: sanctificabimus nos in hoc mundo sicut ille sanctus est. Quod hoc pacto subiungit Ioannes:

31. " Et omnis qui habet hāc spem in eo, sanctificat se sicut & ille sanctus est.] Quid est sanctificare se, nisi pura & sancta fidei opera facere, & per spiritum & gratiam eius purum se seruare, & nihil inquinamenti mundi & concupiscētiarum eius admittere? Sicut C H R I S T V S exemplar nostrum, in hoc mundo uixit: sic & quoad nobis per gratiam licet, in imitatione eius in hoc mundo uiuendū est. Quare qui se purificat seruatq; purum, nullum peccatum admittit, ipsum spiritu C H R I S T I seruante: quia omne peccatum iniquitas est, & diuinæ legis transgressio. Propter quod subdit Ioannes:

32. " Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.] Facere iniquitatem, id est ἀνομία, est legem etiam gratiæ transgredi: id enim anno mia designat. Lex autem, dei uoluntas. Et peccatum ἀνομία, id est legis transgressio est, quæ & dicitur iniquitas. Certum enim est quod qui nō transreditur legem, qui non facit contra diuinam uoluntatem, quod non peccat. Et quomodo etiā imitaremur C H R I S T V M, peccata faciendo; cum ipse uenerit ut peccata nostra tol-

leret

leret & destrueret peccatum, conceptus sine peccato, natus sine peccato, conuersatus sine peccato, moriens sine peccato, & morte sua destruens peccatum & peccata nostra cruci affigens, qui solus peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Quod & nobis hoc pacto insinuat Ioannes, dicens:

Esa. 53.

33. Et scitis quia ille appartuit ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est.] Nisi ipse destruxisset peccatum quod est semen diaboli à principio in Adam seminatum & in prolem eius, pullulans usque ad CHRISTVM ex pura & incontaminata uirgine æditum, nullus in deo maneret: ex pura inquit uirgine æditum, ad hoc ipsum à summo misericordiarum patre electa ut susciperet semen uitæ, semini diaboli maxime contrarium, & quod contrivit caput illius, de quo, de quo dicitur ad serpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Cum dicitur: Inimicitias ponam inter te & mulierem; innuitur quod ipsa non fuit filia peccati, nam filiae peccati, serpenti, id est diabolo non sunt inimicæ, quin potius amicæ. Cum autem dicitur: Inter semen tuum, & semen illius, indicatur CHRISTVS non nisi unius semen & ex sola natus muliere, sed uirgine, sed maxime serpenti inimica. Et hoc est semen quod contrivit caput diaboli: quod nisi destruxisset peccatum, & semen seminasset semini diaboli contrarium, nullus (ut dictum est) in deo maneret, quia cum peccato impossibile est in deo manere: perinde ac cum tenebris in luce: siquidem deus lux est, in quo tenebrae non sunt ullæ: peccatum autem tenebrae. Quapropter subdit Ioannes:

Gen. 3.

34. Omnis qui in eo manet non peccat.] At quomodo manens in luce, & maxima quidem luce tenebresceret, in summa uita moreretur, in summo gaudio tristaretur: tam sane manentem in deo, impossibile est peccare. At qui manent in luce etiam sensibili: nonne qui lucis illius sunt participes, qui lucem illam uidet & cognoscunt? Sic & in CHRISTO qui lux est manet, qui lucis eius sunt participes, qui ipsum uident & agnoscunt. Uident quidem & agnoscunt in hoc mundo, fide plena, fide firma & perfecta: & hi non peccant, quia perfectum lumen fidei tenebras peccati discutit, & nullum secum sinit surgere peccatum. Et ideo si quis peccat, perfectam fidem haud adeptus est. Proinde subdit Ioannes:

35. Et omnis qui peccat, non uidit eum, nec cognovit eum.] Si quis post fidem peccat, haec fides non uiua, perfecta & integra, sed infirma, imperfecta & manca, quia non uidit neque cognovit ut pars est deum, ut neque debili uisu ac infirmo sole ualemus intueri atque lucem. Perfecta autem fides, charisma desursum est perfectum, cor nostrum sursum rapiens & præcipitari deorsum non sinens, ad quod cor nostrum sese habet, ut ferrum ad magnetem. Fouea autem peccati, deorsum est. Qui igitur hoc modo deum uidet & agnoscit, tutus est à peccato: sed id non se, non uiribus suis, non opere suo: sed dei donum est. Et quid mirum si deum hoc munere uidet: quia sursum fide illa rapietur ubi deus habitat: sursum tenetur, ne ad infima & caduca ruat. Fides autem quæ humana est & à nobis, id non habet, tantum differtur à uera quæ pneumaticum charisma est, quantum mortuum à uiuente, & tenebrae à luce: neque secum nisi humana trahit, siue spes sit siue dilectio. Sed fortasse nihil prohibeat humanam fidem diuinæ præcurrere: ut fidem ex auditu exteriori per uerbum dei, eam quæ est ex auditu interiori, interne nobis loquente deo, ut ait propheta: Audiam quid loquatur in me dominus. Quid si diuina in humana inseritur, ut solaris lux in luce oculi, & spes in spe, & charitas in humana dilectione, sintque humana diuinorum præparationes, sed diuinis aduenientibus absorbeantur humana. Et utraqum tum humana tum diuina à deo sunt: sed diuina consummat, ut lux solis, uisionis lumen. Deme solare lumen, aut quod solaris est ænulum: lumen oculi ut tenebrae, ut mortuum & inefficax: sic humani cordis fides, si charisma tol-

psal. 34.

Cap. III. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

las, sic & spes & dilectio humana. De fide ergo diuina quæ defursum est, & consummat, intelligebat Ioannes cum dicebat: Omnis qui peccat, non uidit eum nec cognovit eum. Qui & admonet summopere cauere à seductoribus, subdens:

36 „ Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est.]

Seducunt qui ad alias obseruantias, aliaq; mandata trahunt, quam quæ deus mandauit; nam per solum uerbum dei generatur fides, dicente Paulo: Fides ex auditu, auditus autem per uerbum C H R I S T I . Iustitia autem C R H I S T I , iustitia fidei est, credendo uerbo dei, & eius ex fide per charitatē implendo mandata. Mandata autem illa dei sunt uoluntas, quam qui illo modo facit & implet, iustus est, sicut & C H R I S T V S iustus; nam iustitia C H R I S T I , per fidem eius sua est, & C H R I

1. Corinth. 1. S T V S sua iustitia. De qua dicitur ad Corinth. Qui factus est nobis sapientia & iu-

stitia, & sanctificatio, & redemptio. Cæterum est iustitia per imitationem, de qua

Ephes. 5. ad Ephesios: Estote ergo imitatores dei, sicut filii charissimi. Et hæc non est per æqualitatem. Vbique enim, quum nostra ad ea quæ Christi sunt, hoc modo conferuntur: particula sicut imitationem & similitudinem dicit, nō ueritatis adæquationem; quia imitatione nunquam ueritatem attingit, ut suæ ueritati sit æqua: neque uestigium exemplar, neq; plasma suum plastem. Sed hæc imitatione placet deo, & accepta est in sua ueritate. Veritas enim saluat, non uestigium: sicut ueritas in archetypis est summa gloria summaq; uita. Et qui hanc ideam suam quæ est C H R I S T V S , deus & dei filius, ab æterno iustus, fide imitando facit iustitiam, est ex deo, & imitatione in uero filio dei, dei filius. Sic qui facit iniustitiam quod est peccatum, transgressio mandati, & uoluntati diuinæ contrariū, est ex diabolo, qui iniustus est à mundi conditione, & imitatione filius diaboli est. Quod aperit Ioannes cū ait:

37 „ Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniā ab initio diabolus peccat.]

Sicut hominum lumen è superno lumine est, sic hominum tenebrae ex tenebris potestatum tenebrarum. Supernum lumen nunq; obscuratur: sic externæ tenebrae quæ sunt potestatum tenebrarum nunquam illuminantur. Medium lumen quod hominum est, obtenebrescere potest, & mediae tenebrae quæ sunt hominum, illuminari possunt: ut uicissim qui sunt ex deo, ratione superni infusi luminis, si errore decepti recedunt, sint ex principe tenebrarum: & qui ex principe tenebrarum, si resipiscunt, ex deo sint. Quo sit ut natura non faciat hos aut illos esse ex deo, aut ex principe tenebrarum, qui est aduersarius deo: sed gratia aut peccatum, & huius aut illius imitatione, natura autem in medio est. Et cognoscitur quis imitatione dei esse ex deo, aut imitatione aduersarij esse ex maligno, qui quidem ex se & ex propria uoluntate à bono auersione, non ex imitatione malus est & iniustus, ut deus ex se, & non ex imitatione bonus & iustus. Et idcirco non abs re qui ex se, absolute bonus & iustus est, uenit in mundū, ut opera illius qui ex se quodammodo absolute malus est, ac iniustus destrueret, qui est diabolus. Absolute dico, quia non ex imitatione. Quod hoc pacto innuit Ioannes, dicens:

38 „ In hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli.]

Vt lumen tenebras, sic aduentus filij dei & illuminatio gratiae eius ubiuncq; recepta est, destruxit opera diaboli, quæ sunt opera carnis, peccati & iniustiae, & opera dei introduxit, quæ sunt opera spiritus fidei & iustitiae. Et ut malum semen quod malignus, in prima generatione nostra seminauerat perderet: uoluit nos filius dei secundo nasci, & secundum hanc generationem uiuere, in qua nullum semen est maligni, sed quæ semen primæ & opera eius destruxit. Verum ut ille semen mortis seminauit, falsi parentum persuasione: sic iste semen uitæ in secunda generatione ihs qui ueraci euagelij uerbo suadent. Sic generatio generationi, semen semini, & uerbum uerbo opponitur, & opera operibus. Et ex ihs cognoscuntur qui ex deo nati sunt, & qui

qui ex diabolo. Nam qui ex deo nati sunt, iuxta secundam generationem uiuunt, fructum, id est opera seminis eius quod est euangelium, uerbum dei, & ueritas, quam seminauit deus facientes. Filii autem diaboli, iuxta primam generationem, fructum & opera seminis eius quod est serpentina vox & transgrediendi uoluntate dei persuasio, uerbum nequa & mendaciū quod progenitoribus & eorum successoribus diabolus inseminauit, facientes. Quapropter subdit Ioannes:

39. " Omnis qui natus est ex deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex deo natus est.] Qui natus est ex deo, secunda generatione natus est, & secunda generatione uiuit: alioqui aut abortiuus, aut spiritu mortuus. Abortiuus, ut qui infidelitate grauissima animae peste plenus ad hanc generationem uenit, subdolus & fictus. Spiritu mortuus, ut qui post illuminationem spiritum extinxit & semen eius, prorsus relapsus ad primae generationis opera & seminis eius. Et quomodo qui natus est ex deo, & hac natuitate uiuit, peccaret? Tam certe est impossibile, quam calidū frigefacere, quam lumen tenebras inducere, & triticum ex se mortiferum granum afferre: quoniam si qui ex deo natus est, semen habet uerbi dei, semen euangelij, semen fidei, quo uiuit & quo operatur, & hoc semine uiuendo & operando, ut peccet impossibile est. Ergo natus ex deo, illa natuitate non peccat, sed nec peccare potest. Quam uitam si deserit, & recurrat ad primam, peccat: sed non ut natus ex deo, nec semen natuitatis huius sequens, sed semen diaboli, quod primae generationi inseminatum est. Quam diu enim in hoc mundo uiuimus, circumferimus ueterem hominem, qui nisi iugiter mortificetur, insidiatur nouo, sed non nisi suo ueneno & concupiscentijs eius quod est peccatum illi insitis, ut denti serpentis uenenū. Et qui uiuunt iuxta secundam generationem, & secundum semen eius fructificant, filii dei sunt, & secundum hanc uitam peccare non possunt. Qui autem uiuunt iuxta primā & secundum semen eius, filii diaboli sunt, & peccant, & peccare possunt, immo non nisi ex illo semine peccare possunt. Et in hoc manifesti sunt filii dei à filiis diaboli, quod subdit Ioannes, dicens:

40. " In hoc manifesti sunt filii dei, & filii diaboli.] In hoc etiam, quia filii dei, secunda generatione qua ex deo nati sunt uiuunt, qua peccare non possunt: filii autē diaboli, prima uiuunt, qua & peccant & peccare possunt. Filii dei sunt, non natura, sed gratia: sic filii diaboli non natura, sed peccato. Et utriq; filii aut huius aut illius imitatione, & in utrisq; semen ad imitationē inseminatum, in illis semen bonum & à bono, in his semen malum & à malo. Illis fides ex uerbo dei: in istis peccatum ex uerbo diaboli. Vita, fidem sequitur: mors, peccatum. Et quam angelis lucis ab angelis tenebrarum, tam filii dei à filiis diaboli uoluntate & uita differunt. Filiorum dei uoluntas & uita conformis diuinæ; filiorum uero diaboli mala, horrida, tenebrosa, informis. Illorum diuinis aspectibus & angelicis grata, & dæmonibus inuisa. At istorum contrà, diabolo grata, deo autem et angelis odiosa. Beati qui illam uitam eligerent, & hanc fugient, qui contrà, miseri. Nam iuxta utramque uiuere impossibile est, sunt enim oppositæ. Ideo aut illam diuino fretus fauore elige, ut sis è filiis dei, & in regione lucis in æternū uiuas; aut hanc ex teipso, aut maligni suggestione, si uis esse è filiis diaboli, ut in carcere tenebrarum perpetuo interreas. At quis hoc fecerit, nisi cæcus & amens, & diuino fauore destitutus? Sequere ergo iustitiam, id est, imple omne quod ad te spectat mandatum, & dilige fratrem, ut iustus, & ex deo esse possis, dicente Ioanne:

41. " Omnis qui non est iustus, non est ex deo, & qui non diligit fratrem suū. Quoniam haec annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum?

Cap. III. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.] Qui non facit ius-
titiam, quomodo ex deo esset, cum non imitetur eum qui iustus est? Facere autē
Matth. 6. iustitiam, est esse iustum, & ex deo esse, & esse in eo. Quærите (inquit) primum re-
gnum dei & iustitiam eius. Facit autem maxime iustitiā, qui deo credit & uerbo
eius. Et dilectio fratris, magnū est indicium quod quis ex deo sit: dilectio dico nō
secundum carnem, sed sp̄ritum: ut primum, quia sit ad imaginem filij dei fide re-
formatus, & subinde (quod maximum est) quia in dei filio, filius dei est ascitus, &
in C H R I S T O membrum C H R I S T I insertus. Quo amore nouum hominem,
Ioan. 13: non ueterē diligere possumus. Et hoc nobis dominus arcte mandat, dicens: Ma-
nus datum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Nouum erat, quia
spiritualis dilectionis & noui ex secunda natuitate hominis, qui ante Christum
non fuerat. Vetus autem dilectionem nouerat affectionis. Illa, supra nos: haec, se-
cundum nos: haec initium; illa, consummatio. Qui imaginem diligit propter ue-
ritatem, & qui filium propter patrem, magis ueritatem ipsam diligit & patrem.
Et qui multum illam & illum diligit, multo magis hanc & hunc. Si quidem spiri-
tualibus amandi ratio, ueritas, & regenerationis pater. Et ideo qui ad ueritatem
ipsam & ipsum summum patrem perfectam dilectionem habet: est consummate
iustus. Et tu quomodo odire posses simulacrum eius quem summe diligis, & tibi
amantissimi odire illi similem filium? Maxime igitur in dilectione fratris, in dilec-
tione proximi aut odio cognoscitur quis aut ex deo est, aut ex diabolo: nam quisq;
ex ea parte est quem imitatur. En ueritas ex una parte, & mendacitū ex altera. Om-
nes qui uera loquuntur, & uera faciūt opera, ex ueritate sunt, & ex parte eius. Ve-
ritas deus est: mēdaciū malignus. Hinc Cain ex maligno cognitus est, & Abel
ex deo: quia Cain propter odīū occidit Abel fratrem suum. Abel autem ipsum
non odiat. Et quare Cain fratrem oderat: Quia sua opera mala & iniusta erant,
ut quae ex semine maligni erant: & ideo ipse ex maligno, fratris autem eius bona
& iusta, & ideo ipse erat ex deo. Et qualia opera, talis amor. Si contraria opera:
contrarius amor, & cōtraria odia. Sed eorum qui ex maligno ut amor malus est,
etiam odīū malum. Porro eorum qui ex deo sunt, & amor bonus, & odīū bo-
num. Hi si quidem iniustitiam operantium diligunt, eamq; saluam cupiunt, & illi inesse
omne bonum. Illi uero infidelitatem & mala opera diligunt, & odiunt fidem, bo-
na opera pariter & substantiā bona operantium. Quapropter illā auferre & per-
dere nituntur, ut Cain fratre, inimici naturæ & totius bonitatis. Quid mirum igit
si filij dei odio habentur à mundo, id est, à filijs eius qui sunt ex maligno, ut Abel
odio habitus à Cain? In Abel omnes iusti figurati: in Cain omnes mūdani, & qui
futuri erant filij diaboli. Ideo subdit Ioannes:

42 .. Nolite mirari fratres, si odit uos mundus.] Quamvis mundus odiat eos qui
ex deo sunt, non solum opera sed & substantiam: hi tamen qui ex deo sunt, nō sic
odiunt mundū, & eos qui in mundo sunt. Quia solū infidelitatē id est, iniustiā, et
iniusta opera oderunt, ipsum autē mundū, & eos qui in eo sunt diligunt, & naturā
substantiamq; saluam desiderāt, & libenter impenderēt animas, id est uitā, ut eos
saluos facerent qui se perdere uolunt. Ideo mundus amare nescit neque odire: sed
utrumq; horum malum & inordinatum est. Qui autem ex deo sunt, utrumq; no-
runt, & hi nullum bonum odiunt, sed solum peccatum: nam reuera solum pecca-
tum malum est & odiendum. Ille contrā non odit peccatum, sed bonum & bono
rum substantias: deterior tamen uideri possit odiendo quam amando. Nam cum
sit osor eorum qui ex deo sunt, & fidem, id est iustitiam, & opera odit, & eos qui
opera ipsa habent, utrobicq; malus est, iustitiam & opera bona odiendo, & substan-
tias

cas amat , non eo uidetur malus quod substantias amat , et si malus & infectus sic
is amor , quia ab infecta radice , sed maxime quod iniustitiam & opera mala amat .
Cum igitur mundus suos amet , quanto magis qui ex deo sunt , se mutuo amore
complecti debent : cum illius amor sit in morte , horum uero in uita ; immo ut corpo
ris uita , temperamenti calor est , aut non sine calore , sic animae uita , boni amor est ,
aut non sine amore . Ut non abs re dicat Ioannes :

43 Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad uitam , quoniam diligimus
fratres] Quam diu sumus ex mundo , fratres diligere nescimus , neq; ex integro
possimus , nisi male in peccato ; quia qui peccatum etiam in fratribus diligit , in mor
te est . Et mundi dilectio , & si non odium , non tam dilectio quam non dilectio est :
cum plus odibile peccatum quam diligibilis substancia . Quare si ad hoc ipsum de
ducti , ut non ex hac non dilectione , sed supra mundum dilectione nos inuicem in
tegre diligere possimus , & diligamus ; manifeste cognoscimus quod de morte fi
liorum mundi , translati sumus ad uitam filiorum dei : quia hi soli se inuicem sic di
ligere possunt . Horum soli est amor syncerus , amor regionis lucis , amor supra
mundanus ; & horum , solum odium tenebrarum . Quo sit ut qui odit fratrem , si etiam
ex ihs fuerit qui ex deo sunt , relapsus est in mortem , & de cœlo ruit in terram , de lu
ce in tenebras . Quod tangit Ioannes , dicens :

44 Qui non diligit manet in morte .] Ut illi qui ex non dilectione , in perfectam
transeunt fratrum dilectionem , de morte transferuntur in uitam : sic ex opposito
qui ex fratrum dilectione transeunt in non dilectionem , de uita transferuntur in mor
tem , est q; hic casus similis casui satanæ , & multo magis si non solum in non dile
ctione casus sit , sed etiam adsit odium fratribus : quia tunc non soli qui eiusmodi est ,
transgressus est præceptum de dilectione proximi unde in morte est , sed transgres
sus est alterum quo cauetur . Non occides , ex quo iterum in morte est . Quod ape
rit Ioannes , dicens :

54 Omnis qui odit fratrem suum , homicida est . Et scitis quoniam omnis homici
da non habet uitam æternam in se manentem .] Bis huiusmodi homo mortuus
est , & quia non diligit , & quia homicida est : nam id permanentum est , nullum ho
miciad spiritu uiuere , sed mortuum esse . Sicut qui uidet mulierem ad concipi
scendum eam , adulter est , & corde moechatur ; sic qui odit fratrem suum , homici
da est , & corde occidit . Et si homines illius adulterium , & huius homicidium non
uident , deum tamen non ea latent , qui maxime intuetur cor , & omnes omnium ho
minum voluntates . Homines autem sola externa iudicant . Et ideo deo ille adulter
est , & hic homicida ; et si neuter hominibus & mundo , qui solum externa uident ,
talis reputaretur , nisi forte hominibus spiritualibus qui sensum dei habent , ut se
nes Susannæ accusatores , Danieli . Et quid odium , nisi appetitus ut non sit id quod
oditur ? Si odis peccatum , non uis esse peccatum ; si quenquam odis , non uis ipsum
esse , aut malles non esse quam esse , & hoc est homicidium , & uoluntate homicida
esse . Et qui posuit præceptum de dilectione & homicidio , non modo secundum
literam , sed secundum literam & spiritum uoluit esse intelligendum . Litera exter
num homicidium prohibet ; spiritus etiam internum ; præceptum uero utrumque .
Et ita de dilectione . Et ut amor & dilectio respicit esse ; ita odium non esse . Vnde
sit , ut si deus aliud in diabolo quam peccatum odiret , & in coquinatorum animis
aliud quam peccatum : neq; dæmones subsisterent , neq; inquinatorum animæ : sed
ideo sunt & permanent utraq; , quia deus non odit , sed eorum quarum opifex &
creator est , amat substantias . Et dilectio quam fratres , id est fideles , & qui ex deo
sunt , inter se habere debet ; illa debet esse . C H R I S T I diuinæq; charitatis æmula
cuius respectu omnia terrena , & uita etiam propria nihil ducatur . Quod subdit
Ioannes , dicens :

Cap. III. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

- 46 " In hoc cognouimus claritatem dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.] Si tantam charitatem erga fratres habere debemus, & haec solum est, tametsi ex spiritu CHRISTI pro capitulo nostro, charitatis CHRISTI ad nos qui deus est uestigium, quanta est etiam nobis incomprehensibilis illa CHRISTI ad nos charitas? Etsi nostram erga fratres tantam esse oportet, ut nulla in nobis inuicem declarari possit maior quam imitatione charitatis CHRISTI erga nos, ponere uitas nostras pro fratribus: quantam esse oportet erga deum charitatis fontem, autorem & infusorem, qui & est ipsa absoluta charitas: Hanc non homo, sed spiritus fidei facit in uere fidelibus. Et qui uere fuerunt in hac charitate imitatores CHRISTI, non solum animas posuerunt ad continentos & conseruandos eos qui tum erant fratres, sed et pro ihs quos confortio fratrū adiungere cupiebant, & si tunc essent inimici. Ut CHRISTVS non solum pro iustis posuit animam, sed & pro gentibus & iniustis, & qui tunc erant inimici, ut iustorum associarentur choro & efficerentur, non ex se, sed ex dei honestate consortes regni: sic erga eos morte propria charitatem suam testatus: neque solaris lux in momento terrarum orbem implens tam late se fundit quam dei charitas, quae nec locis intercipitur, nec temporibus finitur. Ne putemus ergo perfectam charitatem esse fraternalē, si ad exterros non se diffundit, & etiam ad inimicos. Et charitas non nostra est, sed dei munus diuinumque donum. Et cum uitam hanc transitoriam nihili aestimant ueri fideles in comparatione huius uiuae & immortalis amicitiae: tanto minoris aestimabunt substantiam quamcumque aliam, ut facultates & diuitias, & quaecunque fortunæ subiacent ludibrio. Quod si quis charitati & fraternalē amicitiae quicquam horum præferret: charitas dei, de qua paulo ante loquacum sumus, non est in eo. Proinde subdit Ioannes:
- 47 " Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum necesse habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo?] Qui uiderit fratrem suum in necessitate constitutum, ut esurientem aut sitientem, cui facultatibus suis subuenire potest, & non subuenit, subuentio gratiam ei denegans, charitate dei uacuus est: quam si habuisset, non modo facultatibus, sed & uirtute, si oportuisset, non pepercisset, ut indigenti subuenisset, inopiae eius misertus. Sed si qua in eo fuit dilectio, si qua amicitia, humana fuit non dei, externa non intima & ex corde, inefficax & sine opere, ficta & sine ueritate. Pulsemus ergo deum precibus, ut eam quae in corde est, non lingua obtineamus: quae efficax est in opere, non in uerbo, quae uera est non ficta, quia illa est ex deo charitas, & eorum qui ex deo sunt: ista eorum qui ex mundo sunt, qui ex deo non sunt. Ad quam aspirandum, nos hoc modo hortatur Ioannes, dicens:
- 48 " Filioli mei non diligamus uerbo, neque lingua, sed opere & ueritate. In hoc cognoscimus quoniam ex ueritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra.] Si intima, spirituali, fœcunda, & uera dilectione amauerimus, magnū nobis indicium est nos ex ueritate, id est, ex deo esse, & ante ipsum, in cuius conspectu sunt hi qui ex eo & in eo sunt, confidentia erunt corda nostra. Sed & contraria, si dilexerimus externa, carnali & ficta dilectione, id præstare non poterimus, sed cor nostrum nos reprehendet. Et esto cor nostrum, id est conscientia non reprehendat & condemnat: quomodo reprehensionem & iudicium dei effugiemus, quem nihil latere potest: Id sanè impossibile. Quod subdit Ioannes:
- 49 " Quoniam si reprehenderit nos cor nostrū, maior est deus corde nostro, & nouit omnia.] Nouit deus omnia, etiam abscondita tenebrarum: neque filii mundi aut diaboli in quoquam latere possunt, ut neque Cain potuit: neque ullus, neque ille effugiet iudicium. Illum accusabat cordis reprehensio: sic & omnem peccatorē qui resurgeret

resurgere potest ad uitā. Vix enim resurgere posse crediderim, quem in malo nul la sequitur cordis reprehensio. Huiusmodi uiui sepulti sunt, qui uisum non habēt quo uideant, neq; audītum quo exaudient sp̄iritum sanctum, in hoc in eum peccantes, quod consummata auersione & malitia omnem ei occluserunt aditum. Sed qui tenebras euaserunt, in luce sp̄iritus constituti de operibus charitatis qua in illa uita uiuunt, cor illos non reprehendit, pacem & secum & cum deo habentes, quoniam mandata dei custodiunt, uoluntatem eius facientes. Et illi, mali scilicet & transgressores diuinorū præceptorū, diffidunt se à deo obtinere quod petunt, quod mandata eius non custodiunt. Hi contrā, magnam fiduciā habēt obtinendi à deo quicquid petierint. Et quid nō? Qui transgrediuntur præcepta terrenorum regum, nōne (sciente id rege) diffidunt ab eo obtinere si quicquam petierint? Et qui iussa regis capessunt, planè id sciente rege, nōne confidunt petitiones suas à rege exaudiri? Sed etiā sp̄irituales quid à summo rege petunt, nisi sp̄iritualia quae perfectiorem uitam suam reddunt ad cognitionem, charitatē, & gloriam superni regis, quae rex ipse libenter impartitur? At terreni terrena petūt, quae hominīs naturam pro dignitate non perficiunt. Quid mirum si illa deus patientibus nō impartiatur, sed magnificus magnifica, & cuiq; naturae decētia: qualia dat uere patientibus, quos cor mundum, purificatum & obediens non reprehendit, sed quibus uera filij dei æmulatio & diuinorum præceptorum adimpletiō ple nam præstat fiduciā? Et ut sua ipsorum uita à deo pendet, non à se: ita ipsorum fiducia non à se, sed à dei dependet bonitate. Qua in re subdit Ioannes:

50. Charissimi si cor nostrum nō reprehenderit nos, fiduciā habemus ad deum: & quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quae sunt placita coram eo facimus.] Si implemus mandata, si placita dei facimus, nō id nobis tribuamus, sed diuinæ bonitati quae nos traxit de morte ad uitā, & quae in uita per sp̄iritum suum nos illuminat lucerna ueritatis, & uires infirmati nostræ suggerit, facitq; nos supra nos fortes, ut ipsum supra nos & omnia diligamus, & fratres & inimicos supra nos, & eius mandata & beneplacita supra nos impleamus. Ergo & hinc pendere debet nostra ad ipsum fiducia, ut supra nos sit, & ideo magna & exauditione digna: & ut angelorum oculi nunquam à deo deflectuntur quicquid agant (Angeli, inquit, eoru semper uident faciem patris mei qui in cœlis est) ita decet iustorum in C H R I S T O , oculos quicquid agant nunquam à deo deflecti. Ideo credimus in filium dei, ut oculus noster iugiter sit in deo. Nā mandatum de fide, est mandatum de uisione. Neq; aliter deum in hoc mundo uiderem possumus. Cuius rei nos hic admonet Ioannes, dicens:

51. Et hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine filij eius I E S U C H R I S T I , & diligamus alterutrum sicut dedit mandatum nobis.] Mandauit nobis pater æternus, ut in filii credamus, cum magnifica uoce è cœlo delapsa testificatus est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Cui testificationi adiecit præceptum, dicens: Ipsum audite. Quod ad credendum in eum, & in nomine eius spectat. Sed & mādata filij, mandata sunt patris. Doctrina (inquit) mea, non est mea, sed eius qui misit me patris. Mandat autem credi in eum. Ait enim: Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Et alibi: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et postea: Qui aut non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine unigeniti filij dei. Ergo sine fide in nomine unigeniti filij dei, nemo euadit iudicium. Sed in hac fide latitudo est. Quædā enim est rudium, quædam promouentium, quædam in Christo perfectorum, & maxime spiritualium; & hi omnes regno uitæ, dei miseratione

Matth. 18.

Matth. 17.

Ioan. 7.

Ioan. 12.

Ioan. 3.

Cap. III. IACOBI FABRI STAPLENSIS COMMENT.

non excluduntur. Primi, simpliciter ut audiunt credunt; uixta auditam in simplicitate uiuentes, sperantes & amantes, spiritum fidei ad haec praecepue dunt taxat habentes. Secundi, spiritum ad haec ipsa habent, sed ad fidei, uerbi dei, & euangelij intelligentias paulo altius gratijs euehuntur. Tertii, omnino longe supra se euecti & naturae uires credunt, sperant, amant, & sacris a spiritu imbuuntur intelligentijs, spiritui perfecte uiuentes, & carni mortui, ihs quae naturae sunt ab ihs quae sunt supra naturam absorptis, ut a solari luce absorberi solet naturale oculi lumen. Primi uiuunt ut infantes; secundi ut adolescentes; tertii ut uiri in CHRISTO adulti. Primi uiuunt ut in nocte, non tamen sine luce stellarum quae eos cum sonitu uerbi dei illuminant: secundi ut in aurora: tertii ut in meridie fidei. Et hi in primis, secundis, & in se cognoscunt diuinam gratiam, in se tamen maxime. Et ut hi maxime cognoscunt, se uere ex se nihil esse cognoscunt, sed quicquid sunt, se omne id esse in CHRISTO, & perfecte credunt in nomine filii dei. Mortui erant, quod uiuunt, in filio dei uiuunt. Cæci erant, uident in fide. Peccatores erant, nunc iusti in fide filii dei, & haec iustificatio in CHRISTO eis data est. Pauperes erant, nunc in eo duci facti sunt. Et hoc ipsi uident & firmissime credunt, quod nihil prorsus habet seu temporale seu spirituale uere bonum & diuinum bonum, nisi in CHRISTO: immo CHRISTVS haec illis omnia, uita, sapientia, quae est fidei uisio, iustitia, & semperiternæ omnem cogitatum superantes diuinitatem. Nam pater omnia dedit filio. qui pro hominibus homo est, in quo sibi summe per omnia complacet. Et quicquid gratiarum hominibus dat, in ipso dat, quia homo propter homines fieri dignatus est. Qui ergo omnia siue gratias, siue opera refert accepta CHRISTO, ut quae in ipso, per ipsum, & propter ipsum habeat, & cum ipsis ipsum & spiritum suum, & nihil sibi ex se, propter se, aut sua opera, perfectam fidem habet, & perfecte credit in nomine filii dei, in CHRISTO uir perfectus. Quod nondum habent neque capiunt primi & secundi: quia ab hoc, ut æs & argentum ab auro differunt. Hic scripturas intelligit supra hominem, & secundum spiritum. Primi non intelligunt, credunt simpliciter. Secundi aliquantulum intelligunt; at non multum supra hominem. Hic & qui tales sunt, perfecte se inuicem diligunt: & hoc in CHRISTO

Rom. 8. qui assumpta carne frater noster est, & primogenitus, summusque frater in multis fratribus, spiritualis fratum dilectionis ratio, & super omnes fratres hac etiam dilectione diligendus: quia ad ipsum solum proximi dilectio quae est fraterna, & de dilectio, quae est summa charitas, in eandem coincidunt, ut sit erga ipsum proximi dilectio summa charitas, quippe qui homo deus est: quae erga nullum alium esse debet aut potest. Et quod credentes in eum, quos & ipse uocat fratres, se inuicem

Ioan. 15. diligant, ipse dedit mandatum, dicens: Hoc est mandatum meum, ut diligatis in-

Lucas 8. uicem, sicut & ego dilexi uos. Sed qui sunt fratres eius? Fratres mei, inquit, hi sunt qui uerbum dei audiunt, & faciunt. Idcirco ut possimus esse fratres eius, & diligere inuicem, et si fratres eius simus qui filius dei est, proculdubio sumus filii dei, admonet nos Ioannes mandatorum ipsius seruandorum, dicens:

52. Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo.] Mandata mundi, sunt mandata legis carnis, quae qui seruat & facit, manet in mundo, & mundus, id est, concupiscentia mundi in eo. Sic qui seruat mandata dei quae ipse mandat, quae sunt manda legis spiritus & charitatis, in deo manet, & deus in eo. Et qui sunt in hac lege perfecti, manifeste id agnoscunt, deum scilicet in se manere: quia donum eius spiritum sanctum, manifeste sentiunt. Quod insinuat Ioannes dicens:

53. Et in hoc scimus quoniam manet in nobis, ex spiritu quem dedit nobis.] Quando spiritus dei datur nobis, id certum argumentum est deum manere in nobis. Sic et si spiritus mundi in nobis sit, et mundus, Spiritus dei, spiritus puræ charitatis & amoris.

amoris. Spiritus mundi, spiritus impuri amoris aut odii. Spiritus dei, spiritus ueritatis. Spiritus mundi, spiritus erroris. Hic immundus, ille sanctus, & etiam super omnem sanctitatem sanctus. Hic tenebrarum, ille lucis. Hic mortis, ille uitae. Hic immisso diaboli, ille donum dei altissimi. Quem nobis pater aeternus in filio suo omnium autore benedictionum, in quo et dat omnia hominibus, largiri nobis dignetur, ut in fide perfecte illuminati, spe certi, et charitate inflammati, ipsum cum filio & spiritu suo, deum unum laudare & glorificare possimus per dominum nostrum, & cum ipso, & in ipso. Cui est omnis potestas in omnia secula. Amen.

CAPUT QVARTVM.

ANNOT.



54

Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus dei. Omnis spiritus qui confitetur IESVM CHRISTVM in carne uenisse, ex deo est. Et omnis spiritus qui soluit IESVM, ex deo non est, & hic est antichristus de quo audistis quoniam uenit, & nunc iam in mundo est.

αγαπητοι. & infra.

55

cognoscite spiritum, γινωσκετε τὸ πνεῦμα. non confitetur μὴ δύο λογοῖ. Christum in carne uenisse, χριστὸν εὑρέσθαι, ελελυθότα, hic est qui est antichristi, τοῦτο δὲ τὸ εἶδος αὐτοῦ χριστοῦ. hic & qui referrunt spiritū. ueniet, ἐγχετούσας, anceps. eos, αὐτούς. εἰ, εἰ, εἰ.

56

Vos ex deo estis filioli, & uicistis eum: quoniam maior est qui in uobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex deo sumus. Qui nouit deum, audit nos: qui non

57

est ex deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritū ueritatis & spiritum erroris. Charissimi, diligamus nos in uicem,

58

quia caritas ex deo est. Et omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognoscit deum. Qui non diligit non nouit deum: quo-

59

niam deus caritas est. In hoc apparuit caritas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitū misit deus in mundū,

60

ut uiuamus per eum. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

quod, δέ.

61

Charissimi, sit deus dilexit nos, & nos debemus alterutru. + sic, οὐτως.

62

diligere. Deum nemo uidit unquam. Si diligamus in uicem, deus in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta

63

est. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu sancto suo dedit nobis.

64

Et nos uidimus & testificamur quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam IESVS est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo.

Et nos cognouimus, & credimus caritatē quā habet de-

65

us in nobis. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in

66

deo manet, & deus in eo. In hoc perfecta est caritas dei

credidimus charitatem, πεπιστεύσας τῷ αγάπην.

Cap. IIII. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij; quia sicut
 68 ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in
 charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem, quo
 69 niam timor poenam habet. Qui autem timet non est per-
 70 fectus in charitate. [Nos ergo diligamus deum: quoniam
 71 deus] prior dilexit nos. Si quis dixerit: Quoniam diligo
 deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non
 diligit fratrem suum quem uidet,] deum quem non uidet,]
 72 quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus
 a deo, ut qui diligit deum, diligat & fratrem suum.

A N N O T.

Nos dileximus eum,
 quoniam ipse haec est
 agnitionis misericordia, &
 autem
 • uidit, ex ergo et
 infra.

ab eo, & non aucto.

COMMENT. IN CAP. QVARTVM.



AVLO ante dixit nos scire, id est certo cognoscere, deum in nobis manere in hoc, scilicet è spiritu dei qui datur nobis: sed ut deus datur spiritum bonum, qui est spiritus pulchræ dilectionis et ueritatis suæ: sic princeps mundi huius dat spiritum malum, qui est spiritus ille- cebrarum & erroris. Ideo admonitione nos præmunit Ioannes, ut non omni spiritui credamus, dicens:

54. Charissimi, nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex deo sint, quia multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.] Ut in tenebris nihil discernerimus, sed turpe & pulchrum, magnum & paruum, securum & horrendum confusa sunt: sic filii tenebrarum spiritus probare non possunt. At filii lucis quia in luce sunt filii dei, in luce uerbi dei, quæ quænam est nisi lux euangelij: & lux omnia degit & manifestat: probare possunt spiritus a deo sunt, a maligno, qui & ueritatem & dei aduersarius & uerbi eius est. Ideo qui ex infidelitate, aut ex pauca luce suæ fidei & cognitionis, non sufficiunt per se probare spiritus a deo sunt: a filiis lucis hoc agnoscere debent. Hi sunt qui fide & dei sapientia doctrinæ euangelij illuminati sunt, quos uita spes & in deum fiducia facit sui ipsorum & omnium conductorum fiduciam floccipendentes: quos etiam & charitas in dei et proximorum dilectione, in omni opere facit feruentes. Et gratia cuius necesse est spiritus probare a deo sunt: Quia multi multas & uarias doctrinas mundo inducunt, quæ non sunt uerbum dei, doctrina Christi & euangelij, sed aut doctrinæ hominum, quæ a spiritali humano sunt: & haec uana sunt, ut spiritus hominis (maxime si ad spiritum dei, qui est spiritus scripturarum, conferas) uanus est, aut a spiritali maligno & haec doctrinæ erroris sunt, & haereses, & qui eas seminat, & qui male scripturas dei interpretantur & pervertunt, pseudoprophetæ appellantur. Doctrinæ scripturarum, quia a spiritali dei sunt: solidæ sunt, uiuificæ, & doctrinæ ueritatis. Doctrinæ pseudoprophetarum, id est haereticorum, infirmæ, mortiferæ, doctrinæ erroris & mendacij. Illæ diuinarum inquam scripturarum optimæ, & omnibus uiribus sequendæ. Haec pessimæ, & omnibus pro uirili fugiendæ. Humanæ doctrinæ de literaria institutione, mediæ sunt, neque omnino mala, neque omnino bona: quia ut neque mortem afferunt, ita neque uitam praestat, neque perfecte illuminare possunt ad uitam, neque purgare a morte: quia anima uiuit ex omni uerbo, id est mandato, quod procedit de ore dei, non ex eo quod procedit ex mente aut ore uiri. Electorum mentibus suas inspirat spiritus dei, & perditionis animis suas dæmon. Homo autem suæ aut rationi aut prudentiæ innitens: suas inuenit ex luce, quam deus illis secundum naturam infundit. Lux uera, & regula omnium doctrinarum, sacra scriptura est: ad

Deut. 8.

est: ad quam cæteræ collatae, si sint aduersæ, diabolicae sunt & fugienda; si non aduersæ, sed non ex ea sunt, neq; ad lucem eius seruientes faciunt: uanæ sunt, aut pa-
rum curanda. Qui in illa luce ambulat, in die ambulat, et securissime ambulat. Et
quia humanæ nō sunt à deo perniciose ut sunt eæ quæ sunt pseudoprophetarum;
maxime deterret nos Ioannes ab his, ne eis ullo modo credamus. Et dat ueluti ex-
emplo cognoscere quæ doctrinæ sp̄ritus dei, cui credendum est, & quæ sp̄ritus
erroris cui credere nunquam oportet, subdens:

55. In hoc cognoscitur sp̄ritus dei. Omnis sp̄ritus qui confiteſ I E S V M C H R I-
S T V M in carne uenisse, ex deo est. Et omnis sp̄ritus qui soluit I E S V M, ex deo
non est, & h̄ic est antichristus de quo audistis quoniam uenit, & nunc iam in mun-
do est.] Omnis sp̄ritus qui docet quod I E S V S est uere incarnatus, hic ex deo est.
Et omnis, δ μηδεπολογητικός, qui non confitetur, siue ut interpres habet; qui soluit I E-
S V M, id est, separat à I E S V aut distinctatem Messiæ, dicens I E S V M non esse
C H R I S T V M, aut homini ueritatem, dicens non uenisse in carne, non est ex deo,
sed est sp̄ritus erroris, & antichristi sp̄ritus. Et qui ita docet, antichristus est, de-
quo supra numero 2. dictum est, quod antichristus uenit, & iam in mundo est.
Ex hoc exemplo reliqua intelligere possumus, quæ sunt ex sp̄ritu dei: ut I E S V M
esse filium dei unicum, & uere deum. I E S V M natum ex uirgine, & uere hominē
factum. I E S V M patrum crucifixum, mortuum pro mundi uita. Et I E S V M resur-
rexit ad omnium electorum gloriam, & uniuersa quæ sacra continet scriptura.
Et opposita, ex uenenoso afflato sunt maligni, ut I E S V M non filium dei, nō de-
esse, sed hominē purum. Iesum ex Ioseph & Maria, ut qui tunc erat antichristus
Ebion, non uere carnem sumpsiſſe, non uere passum, crucifixum, mortuū ut dia-
boli filius. Alius tunc antichristorū dicebat Martion, quod n̄ qui ex deo sunt uel
audire horrent maxime, & facile uincunt huiusmodi erroribus abducti, quia
sp̄iritum dei habent, qui eo sp̄iritu fortior est, qui in illo et in pseudoprophetis est,
ut lumen est fortius tenebris. Quod Ioannes subdit dicens:

56. Vos ex deo estis filioſi, & uicistiſ eos: quoniā maior est qui in uobis est, quam
qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos au-
dit. Nos ex deo sumus. Qui nouit deum, audit nos: qui non est ex deo, non audit
nos.] Quicunq; uincit, non ex ſe uincit, ſed quia ex deo est: hoc autem est dei do-
num & electio. Et qui uincunt mundum, uincunt eos qui ex mundo ſunt. Illi autē
quos obtinet sp̄iritus erroris ex mundo ſunt, & ideo ſolum audit eos mundus, lo-
quentes ea quæ mundi ſunt & sp̄iritus eius, & minime audiuntur ab ijs qui non
ſunt ex mundo, ſed ex deo: uerum illos auersantur, ea quæ dei ſunt docentes, &
illos & dogmata eorum aspernantes, execrantes, deuouentes cum diabolo qui ſe
ducit & eos & mundum per eos. Et hoc eſt eos uincere, & sp̄iritū erroris in ipliſ.
Qui autem non ſunt ex mundo, ex deo ſunt, & audiuntur ab ijs qui dei notitiam
euangeliūq; admiserunt, habentes C R H I S T I I E S V (per quem illuminantur
omnia) fidem, & nō audiunt ab ijs qui ſunt ex deo: quia ex mundo non ſunt, neq;
ſide per receptum euangeliū illuminati deum nouerunt. Et uera charitas diſcer-
nit inter sp̄iritum ueritatis & sp̄iritum erroris: quia ex sp̄iritu ueritatis eſt uera cha-
ritas, quæ uerē feruet & cor incendit ad dei amorem & ad amorem etiam omnium
creaturarum propter deum: ex sp̄iritu erroris nunquam, ſed aut amoris prolapsio,
extinctio dilectionis eorum quæ amari debent, aut potius odium. Quod innuit
Ioannes, dicens:

57. In hoc cognoscimus sp̄iritum ueritatis & sp̄iritum erroris. Charifſimi, diligam-
us nos inuicem, quia charitas ex deo eſt.] Quomodo ex sp̄iritu erroris eſt
uera dilectio: qui & deum odit & omne quod deus amat; Deus autem ueritas, &

Cap. IIII. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

omnia eius opera uera. Verum ille est spiritus mendacij & odij , & seminat or dis cordiarum inter fratres. Et ex odio & discordia cognoscitur, sicut deus dei sp̄ritus ex dilectione & mutua concordia. Merito igit̄ qui dei gratia & benignitate fideles sumus, nos inuicē diligere debemus, cum charitas ex deo sit , & nullo modo ex maligno esse possit . Qui si alioqui aliquē , sed ementitum suscitat amorem, is à charitate remotissimus est, sed est insanus amor , qui non est amor, sed amoris pestifera labes, odio deterior, & furor concupiscentiae, qualis est adulteri aut adulterae, si non etiam multo deterior. Et hīc maxime insanus & impurus amor, facit filios diaboli: ut charitas, sanctus , purus & incontaminatus amor , & sincera dilectio, uere filios dei. Non abs re ergo subdit Ioannes:

58. Et omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognoscit deum. Qui non diligit, non
nouit deum: quoniam deus charitas est.] Charitas ex prima natuitate non est, sed
ex secunda. Ideo qui eam habet, ex deo natus est, & cognoscit deum: quoniam sine
fide ad filiorum dei non acceditur generationem. Qui hac autem charitate non di-
ligit quae est dilectio spiritus, deum non cognoscit, quia lumine fidei quae sine cha-
ritatis igne non lucet, caret, quo solo in hoc mundo uidetur deus. Et quia ut lumē
ab oculo non luminoso uideri nō potest: sic neq; ipsa perfecta charitas & summa
dilectio quae deus est, à nō diligente cognosci potest. Dilectio, lucida flamma; nō
dilectio, obscuritas. Odium, horrendæ tenebræ à maligno ei oculo quo uideri de-
bet deus infusæ. Et deum charitatem esse in hoc dilucidum est: quia eam erga nos
manifestauit , quandoquidem filiu suum unigenitum per charitatem quo nos in
ipso diliguit, misit in mundū, ut nos mortuos uiuificaret per ipsum. Quod hoc pa-
cto subdit Ioannes, dicens:

59. In hoc apparuit charitas dei in nobis , quoniam filium suum unigenitum misit
deus in mundum, ut uiuamus per eum.] Quantum pater diligit filium , tantum
nos in filio diligit, qui sumus filio quodāmodo consortes: & hoc charitate patris,
qui uoluit eum hominem fieri propter nos. Pater autem filium infinite diligit, er-
go infinita patris erga nos in filio charitas. Quomodo ergo nunc amore uiuificati
diligere non debemus, qui nos etiam mortuos, infinite in filio & propter filiu di-
lexit, hanc incomprehensibilem testatus dilectionem, mittēdo filium suum ut nos
uiuificaret, & uiueremus per filium: Quomodo non amare poterimus filium qui
nobis dedit uitam, & uitam quidem qua uiuit sempiternam, & in quo, & propter
quem uiuimus & habemus & regnum & regni ut filii dei cum eo hæreditate: qui
est nobis omnia, per quem sumus quicquid sumus , & per quem quicquid altū &
sublime & uere diuinum est, habituri sumus : Certe si uiuimus, non amare nō po-
terimus. Sed hæc uita nostra non est: sed est suum datum. Hīc amor nō noster est,
sed est gratia ipsius infusio: ipse se nobis infundit ut uiuamus , sp̄iritus eius nobis
illabitur ut amemus. Neq; enim ex nobis ipsis uiuimus, neque ex nobis amamus,
sed ex ipso: ne putemus dilectionem nostram ipsum ad nos attraxisse . Non certe
ita est, sed charitas eius nos ad se attraxit, attractos uiuificauit: infudit amorem, ut
nos uitæ nostræ diligenteremus autorem. Et quomodo dilexiſsemus eum qui mor-
tui eramus, qui uita carebamus ? Charitas dei est origo nostræ uitæ , cui in nullo
cocurreramus: sed potius ad oppositū, utpote ad peccatum quod est causa, fomes
& origo mortis. Quod innuit Ioannes, dicens:

60. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior di-
lexit nos , & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.] Non solū
non diligebamus, non solum mortui eramus , quando charitas dei misso in mūndo
filio nos requisiuit, nos attraxit (sicut scriptum est: In charitate perpetua dilexi te,
ideo attraxi te miserans) nos uiuificauit ; sed habebamus causam mortis peccatū,
& non

& non modo unum sed plurima, quae deo sunt inimica, & nos deo inimici: dilecti quidem in CHRISTO ob naturae in eo electionem: inimici uero in nobis ob peccata. Sed tanta charitas patris & filij fuit in nos, ut nos filius in se dilectos, in nobis inimicos repropitiaret patri, uolens pro omnibus mori ut uiueremus, non autem ut moreremur: nam mortui eramus. Ergo mortuus est, ut mortui uiueremus: quia mors eius hostia fuit, ut nos odio habiti in gratiam rediremus, quia ipse propitiatione pro peccatis nostris, ut nos ad se conuerteret amantes. Quid causae? Quia ipse est charitas qui nos prior dilexit: & tantum dilexit, ut illi amor nullus respondere possit amor, quippe cum immensus omnem excedat amorem amandorum rationem. Cum ergo deus tantum nos dixerit, quomodo nos ipsos quos sic deus dixerit, non mutuo amabimus in CHRISTO ut dei filios, in ipso & propter ipsum. Quomodo non agnoscemus nostrae generationis originem, qui in charitate redempti sumus, in charitate uiuificati, in charitate regeniti filii dei? Degeneres certe sumus, si non nos mutuo dilexerimus. Propter quod subdit Ioannes:

61. Charissimi, si deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemmo uidit unquam.] Nos sumus filii charitatis, deus autem charitas est: filii autem portant imaginem patris. Et qui non uidit patrem & uidet filium, patrem in filio uidit: quia filius imago patris est, & in se habet imaginem patris. Cum ergo deum reuelate nemo mortalium uiderit unquam (nam dum hanc mortalem uitam uiuit, fide currit, quae non est reuelata, sed in enigmate dei uisio) & si deum, si charitatem ipsam uidere non possumus: possumus tamen fratrem reuelare uidere, quia dei imago est, & in se habens imaginem diuinae charitatis, quia filius dei regenitus est, & quod uidemus in fratre, id est frater in nobis uidet, quia eiusdem imago sumus. Ideo si nos sic inuicem diligamus, deus manet in nobis, & charitas eius perfecta est in nobis: quia ipsum in nobis ut patrem cognoscimus, & mutuam charitatem quae perfectum est signaculum eius, in nobis ipsis etiam mutuo esse cognoscimus: Quod & sic innuit Ioannes, subdens:

62. Si diligamus inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.] Charitas perfecta, charitas dei est, & charitatis diuinae qua nos deus in filio diligit ut filios, signaculum. Ideo reciproca esse debet, ut qua nos inuicem diligamus propter patrem, & quia eiusdem patris & plus quam eminenter boni, & plus quam intelligi possit amandi, in nobis portamus imaginem. Ratio qua pater amat filios, est in filio: ideo ratio qua filii patrem, aut se mutuo amant, est in patre & in ratione qua nos amat, quae est filius eius super omnem benedictionis intelligentiam benedictus. Et qui hunc amorem habet, manet in deo, & deus in eo: quia hic amor a spiritu dei est, & donum dei altissimi, a dei charitate infusum. Quod & insinuat Ioannes, dicens:

63. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu sancto suo dedit nobis.] Hoc ait, quoniam de spiritu sancto suo dedit nobis: ne putaremus eum loqui de dilectione inuicem quae secundum naturam est, & quae quodammodo est nostrae potestatis. Non de hac, sed de ea quae charisma est, & spiritus sancti donum intelligendum est. Nam quantumcumque dilectione naturali diligamus, sicut mater natura diligit filium, pater liberos, frater naturaliter fratrem: ex hac nunquam cognoscimus deum manere in nobis, & nos in deo, sed ex ea quae a spiritu dei est, & quae est eius donum. Attamen si eam quae secundum naturam est non habes, sed oppositum, & in omni homine non amas similem tecum naturam quod naturale est, nosse id certo potes, te non in deo manere, nec deum in te: quia amor naturae non corruptus, quedam est preparatio ad diuini amoris suscipiens munus, ut diaphanitas quedam disponit aerem ad luminis susceptionem,

Absorbere tamen debet susceptus diuinus amor, amorem naturalem, ut lumen diaphanitatem, & ratio diuini amoris, rationem amandi naturae: quia ille perfectus, potens, efficax; hic, imperfectus, debilis, & inefficax; ille est summo, hic ex imo: hic tamen suo modo bonus reputatur, & sic bonus, ut nullus in mundo, ut mundus dicatur, praeter eum: qui naturae est aut secundum naturam sit reputetur bonus. At tamen tantum cedes diuino, quantum terra caelo: et si illi compares, malus, ut qui nihil confert ad salutem. Et ne quis dicat ad hanc charitatem manifestandam & nobis exhibendam patrem non misisse filium in mundum, ipse oculatus est testis, & reliqui apostoli qui cum filio dei in terris conuersati sunt. Propter quod ait:

64. " Et nos uidimus, & testificamur quoniam pater misit filium salvatorem mundi.] Vedit Ioannes filium dei, & supra sacrum pectus in coena recubuit, annunciantem coelestia mysteria audiuit, mortuos uidit suscitantem, leprosos mundantem, demonia non aliena, sed uia propria ejuscentem omnem infirmitatem curantem: uenitis procellosis, & saeuo mari imperantem: siccis plantis super undas ambularem, ac denique gloriose transformata facie ueluti solare iubar radiantem, & uocem patris de dilecto filio testificantem auribus hausit; morienti adfuit, & ab eo ex mortuis rediuiuo, tunica perpetuae immortalitatis uestito, sermonem accepit: cum eo cibum sumpsit, & in coelum euntem, quantum mortales oculi uidere potuerunt, suspexit, uisusque prosequutus est, & spiritum sanctum, ut ab eo promissus fuerat, ex caelo missum accepit, & omnes qui in coenaculo pariter erant, qui & ascende domino in monte olivarum fuerant. Tali igitur testi, quod pater misit filium suum salvatorem mundi credendum est; Credendum sanè, & quicquid aliud annunciarerit nobis, credendum: ut quod IESVS sit filius dei, quod ipse & collegae eius apostoli nouerunt & crediderunt, & quod tantam charitatem nobis deus exhibuit, exhibetque quam & ipsi nouerunt, & cui ipsi crediderunt. Quod ipse subdit dices:

65. " Quisquis confessus fuerit quoniā IESVS est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo. Et nos cognouimus & credidimus charitati, quam habet deus in nobis.] Hæc confessio, quod IESVS est filius dei, est confessio fidei quam spiritus sanctus infundit uiuam & efficacem, immo quam se uiuificantem fideles sentiunt, & se inde manere, & deum in ipsis. Diligunt enim inuicem deum charitate, non quam ipsi, sed quam deus facit, quamque habet in ipsis. Et tantæ charitati credere debemus, & sic nos deum in filio tanta diligere charitate, quam nihil altum, nihil forte

Rom. 8. aut debile dissoluere unquam possit, & ut Paulus inquit: Neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in CHRISTO IESV domino nostro. Tantæ igitur suapte natura, tam inuincibili, tam incomprehensibili charitati pro uirili noltra, quid ait pro uirili: immo supra uires nostras, gratijs ad hoc ipsum supra nos infusis, ne simus ingratiti: sed charitati non agentes sed acti, charitate respondentes, ante tantam, tamque immensam animis liquecamus bonitatē. Mirum certe est, si nos ipsos respicimus, tantam erga nos esse dei benignitatem, tantam tamque ineffabilem esse charitatem. At si filium in quo, & per quem diligimur, nihil mirum, quia nihil habet non amabile, qui est ipsa uera amari ratio charitatisque idea: & qui amat patrem, sicut pater amat nos in ipso, incomprehensibiliter & immense, & sua charitate fatisfacit pro nobis, nostræ impossibilitati & ingratitudini: non enim patrem amare possumus ut nos amat. Si patrem etiam respicimus, nihil mirum erga nos eam esse charitatis immensitatem. Nam ipse charitas est: quod subiungit Ioannes, dicens:

66. " Deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo.] Quicquid est deus, charitas est. Pater, charitas est, & fontana charitas, Filius, ratio,

tio, character, imago & paternæ charitatis expressio. Spiritus sanctus, immensum donum, immensaq; ab utroq; charitatis effusio. Et ideo qui manet in charitate, in deo manet, in patre, in filio, in spiritu sancto: & deus in eo, & pater, & filius, & spiritus sanctus. De qua mansione ait ipse filius: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum ueniemus, & mansionē apud eum faciemus. O beatissima mansio, in deum manere, & deum in nobis. Et hoc si spiritu fidei diligimus filium dei, qui uult hoc modo à nobis diligi. Quid enim charitas ipsa uult, nisi diligere & diligi? O felicissima, qua diligi filius dei dilectio, quæ est dilectionis qua nos diligit in ipsum reflectio; nā ipsum diligere non possumus, qui pro captu coiusq; diligit omnia, nisi nos primū diligat. Charitas dei erga nos, dilectio directa. Charitas dei in nobis erga deum, dilectio reflexa: quæ utraq; non secus dei est et à deo, quām radius solis directus et reflexus, solis est & à sole. Neq; diligere possumus deum, nisi quia ipse prior diligit nos: ut neque lumen à terra in solarem lucem reflecti, nisi solaris lux prior illuminet. Charitas dei lux solis, sed solis infinitæ lucis. Charitas nostra lumen solis in terra erga solem se reuibrans ac reflectens. Propter quod & postea dicturus est Ioannes: Nos ergo diligamus deū, quia deus prior dilexit nos. At prius de diuina hac charitate, qua deus à nobis diligitur, prosequitur: ut cognoscamus quādo perfecta est, & quando imperfecta, & nondum consummata, dicens:

67 In hoc perfecta est charitas dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.] Charitas dei qua nos diligit, semper est perfecta, & (ut sic dicam) exuberanter & supra quām perfecta. Sed charitas dei in nobis, et si in nobis sit, non semper est perfecta, & hoc ex nobis est, qui nondum sumus uasa apta & parata, ut simus perfectæ charitatis capacia. Neque enim in omni parte terræ solare lumen perfectum est, perfecteç; in solem recurrit, quod non ex ipso sole est, sed ex ipsa terrestri mole, ut si fuerit impura, fumosa, uaporosa. At si (id quidem faciente sole) fuerit dura, polita & munda, tunc soli obiecta tanquam ipsum plenissime respiciens, fortius reflectit lumen & perfectum solis in se lumen habet; sin secus, debilius & imperfecte lumen solis admittit, & aliquando non admittit. Sic qui spiritu fidei faciente fide, solidus est, purus & mundus, charitatem dei in se perfectam admittit, quæ ad ipsum unde perfecte resilit, & plenam fiduciā habet in gratia, bonitate & misericordia dei: neq; diem iudicij dei in egressu huius uitæ, neq; in seculorum fine quicquam exhorret; & hoc, quia sicut C H R I S T V S in coelo est perfectam charitatem habens, sic & ipse in mundo est, pro captu suo perfectam habens charitatem. O preciosa in nobis perfecta dei charitas. O inæstimabilis margarita, quæ sola perfectam præstat nobis in deo & deo fiduciam; sin imperfecta, partim diffidit, & fiduciæ suæ timorē iudicij, tum particularis, tum universalis in nouissimo die admiscet. Ideo diem mortis exhorrescit & diem nouissimum, & hoc ratione iudicij & metu poenarum. Et huiusmodi charitas imperfecta est, & hic timor adhuc seruilos est, qui filios non decet, sed aut seruos aut libertos, qui nondum sunt perfecte liberi, aut qui nondum suam intelligunt libertatem, & perfectam domini sui bonitatem, qui ipsos adoptat in filios. Et hi deum adhuc cogitare non possunt, ut immense bonum & solum bonū, & solum amandum, & ut patrem, neq; ut talem amare perfecte quidem, sed ut dominum & timendum, & id quidem non pure, sed impure atq; imperfecte. Et ideo haec charitas, manca & imperfecta est, & hoc ex ipsis. Ob quod subdit Ioannes:

68 Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: quonia timor poenā habet.] Timor iudicij, timor poenæ, timor seruitutis non est in charitate, id est in perfecta charitate, quæ sola est & meretur dici charitas; quando-

Cap. IIII. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

quidem imperfecta charitas non ea est dignitate ut dicatur charitas, sed charitas quæ perfecta est, qua similes sumus in terris filio dei qui est in cœlis, qui neque habet, neq; unquam habuit huiusmodi timorem. Si timuit, tæduit, expauit: nobis tamen mult, tæduit, expauit, non sibi. Perfecta inquam charitas, foras pellit, extrudit, & prorsus exterminat huiusmodi timorem. Sed queret quispiam fortasse, filiorū dei & perfecte diligentium deum, perfectamq; charitatem habentium, est ne timor?

Psal. 18. Est, sed timor diuinus non humanus, spiritualis nō carnalis de quo dicitur: Timor domini sanctus permanet in seculum seculi, qui & reuerentia dicitur, & perfecta quidem reuerentia. Et hic timor fundamentum habet profundissimam, & (ut sic dicam) abyssalem humilitatem: obiectum uero illam summam, insitam & incomprehensibilem maiestatem; & hunc timorem, hanc reuerentiam & profundissimam in hac reuerentia humilitatem, secundum dispensationē carnis assumptæ, semper habuit & super omnes C H R I S T V S dominu. dei filius erga patrem, & tantam ut nullus alius ad eam attingere possit. Nam de hoc timore, & de eo scriptum erat:

Esaie 11. Requiescat super eū spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, et replebit eum spiritus timoris domini. Et hic timor qui reuerentia est, & reuerentia dicitur, est in omnibus angelis & omnibus sanctis qui consummati sunt & in cœlo & in terra. Est & timor domini imperfectus, qui est timor offendendi deum quia summe bonus, & maxime omnium indignus qui offendatur: & hic timor imperfecta reuerentia est, de quo dicitur: Initium sapientiæ, timor domini, & ob propriam insitatem cautionem habet. Hunc timorem C H R I S T V S dominus non habuit, neq; angelii cœlorum, neq; sancti qui in cœlis sunt. Nō enim timuit dominus offendere deum, qui offendere non potuit, neq; sancti in cœlis, ut neq; confirmati angeli dei, deū offendere possunt: sed haec potestas non offendendi (excepto solo C H R I S T O) nō aliorum est potestas, sed dei munus & gratia. Nec etiam hunc timorem, summe perfecti summeq; fideles, & in charitate consummati, in hoc mundo habent: & id non ex se, sed dei munere. Hic timor obiectum habet summam bonitatem quæ & ei est ratio non offendendi. Qui tamen hunc habet, offendere timet ob imperfectionem & propriam imbecillitatē. Quod ergo cauet ab offensione, non est ob pœnæ metū, sed ob eminentiam diuinæ bonitatis, alioqui non esset bonus & ordinatus timor, bona & ordinata cautio, sed inordinata & mala, & non prudentiæ spiritus nixa, sed carnis imprudentiæ; quare non esset initium sapientiæ, quæ est prudentia consummata. Et qui hunc habet timorem, si filius est probæ frugis adolescēti, qui obsequitur bono patri, & patrem amat & timet offendere, quia bonus et quia pater, non quia delinquens puniretur. Et hic bene natus, & insitam habere uidetur prudential, aut prudentiæ principium, quæ dum consummata fuerit (ut dictum est) sapientia est. Consummata autem est in eo, quum in bono, id est, in obedientia & amore patris adoleuerit, & perfectus euaserit uir: tunc non timet amplius offendere patrem, sed reueretur solum, non amplius offendere timens. Ergo timor offendendi et si bonus, imperfectus est, & imperfectam habens prudentiam: timor autem puræ reuerentiæ, perfectus, & perfectæ prudentiæ est atq; sapientiæ, quo filium dei imitamus, super quem requieuit spiritus sapientiæ, & spiritus timoris domini, nō sapientiæ imperfectæ, & nō timoris imperfecti, cum ille harum utraq; ex parte imperfectus fuisset. Et ubi timor perfectæ imitationis adest, imperfectū excludit timorem, ut uirilis ætas ingenuam adolescentiæ, et si hic & ille non essentia, sed penes perfectum & imperfectum differunt, ut essentia idem uir & adolescent. scens. Et tanto magis excludit malum timorem, quo quis metu pœnæ cauet offensionem; de quo dicit Ioannes, quod pœnam, id est, supplicium & cruciatū metis habet.

Psal. 110. • Initium sapientiæ, timor domini, & ob propriam insitatem cautionem habet. Hunc timorem C H R I S T V S dominus non habuit, neq; angelii cœlorum, neq; sancti qui in cœlis sunt. Nō enim timuit dominus offendere deum, qui offendere non potuit, neq; sancti in cœlis, ut neq; confirmati angeli dei, deū offendere possunt: sed haec potestas non offendendi (excepto solo C H R I S T O) nō aliorum est potestas, sed dei munus & gratia. Nec etiam hunc timorem, summe perfecti summeq; fideles, & in charitate consummati, in hoc mundo habent: & id non ex se, sed dei munere. Hic timor obiectum habet summam bonitatem quæ & ei est ratio non offendendi. Qui tamen hunc habet, offendere timet ob imperfectionem & propriam imbecillitatē. Quod ergo cauet ab offensione, non est ob pœnæ metū, sed ob eminentiam diuinæ bonitatis, alioqui non esset bonus & ordinatus timor, bona & ordinata cautio, sed inordinata & mala, & non prudentiæ spiritus nixa, sed carnis imprudentiæ; quare non esset initium sapientiæ, quæ est prudentia consummata. Et qui hunc habet timorem, si filius est probæ frugis adolescēti, qui obsequitur bono patri, & patrem amat & timet offendere, quia bonus et quia pater, non quia delinquens puniretur. Et hic bene natus, & insitam habere uidetur prudential, aut prudentiæ principium, quæ dum consummata fuerit (ut dictum est) sapientia est. Consummata autem est in eo, quum in bono, id est, in obedientia & amore patris adoleuerit, & perfectus euaserit uir: tunc non timet amplius offendere patrem, sed reueretur solum, non amplius offendere timens. Ergo timor offendendi et si bonus, imperfectus est, & imperfectam habens prudentiam: timor autem puræ reuerentiæ, perfectus, & perfectæ prudentiæ est atq; sapientiæ, quo filium dei imitamus, super quem requieuit spiritus sapientiæ, & spiritus timoris domini, nō sapientiæ imperfectæ, & nō timoris imperfecti, cum ille harum utraq; ex parte imperfectus fuisset. Et ubi timor perfectæ imitationis adest, imperfectū excludit timorem, ut uirilis ætas ingenuam adolescentiæ, et si hic & ille non essentia, sed penes perfectum & imperfectum differunt, ut essentia idem uir & adolescent. scens. Et tanto magis excludit malum timorem, quo quis metu pœnæ cauet offensionem; de quo dicit Ioannes, quod pœnam, id est, supplicium & cruciatū metis habet.

habet. Nam ut inuidia cruciat inuidum, sic hic timor poenae cruciat, & supplicio affligit timidum; quod bonus timor, siue non offendendi, siue purae reuerentiae non habet, sed oblectationem. Et qui inter christianos hoc timore, obiectu uidelicet poenae timet; assimilatur adolescenti male nato, qui non amore boni, amore patris non offendit, sed metu poenae. Huic imprudentia comes est, aut imprudentiae initium; hic timor patris perpetuo eum cruciat, & adeo patrem non amat, ut etiam gauderet si non esset, quo excutere posset omnem reuerentiam quam paruam aut nullam habebat, & ut nullo offendendi metu, in omne flagitium rueret. Hic filius imprudens & degenerans in seruum, immo natura seruus; etsi benignitas patris eum ferat ut filium, & haereditatis partipem faciat ut liberum. Quomodo igitur hic timor in charitate esset, & in perfecta quidem charitate? Impossibile sanè est. Et deceret omnes, praesertim adulta aetate christianos, in timore domini esse perfectos, & nullum quomodocunq; habere timorem offendendi. De alijs qui non sunt in charitate perfecti, subdit Ioannes dicens:

69. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.] De timore ratione poenae hoc praesertim dixit, quia magis charitati aduersatur: etsi id etiam uerum sit de timore domini imperfecto, qui timor est offendendi, seu bonitatem dei obiectum habeat, seu iustitiam, quia nondum est perfecta in deum fiducia, & qui, nisi exclusa eius imperfectione, non stat cum perfecta charitate, quæ perfectam habet spem, plenamq; in deo fiduciam. Sed dices an possit mortalis ad hunc perfectionis pertingere gradum, ut possit non timere, ne deum offendat? Si seipsum respicit & fragilitatem suam, ex se impossibile est: sin deum, diuinumq; in CHRISTO munus & praesidium, possibile est. Et haec potestas (ut dictum est) non sua ipsius, sed dei est. Et quur deus id in suis filijs non faceret in bonu, quod princeps mundi huius in suis facit in malum? Nam qui sunt in malo consummati, omnem offendendi excutiunt timorem, neq; poenam timentes, neq; maiestatem uerentes. Etiā qui sunt charitate consummati, omnem offensionis excutiunt metum: nam is ab imperfessione nascitur. Et non aliter non timent deum offendere, quam uir etiā humana iustitia consummatus, aut perfecte temperans, non timet furtum facere, aut uino inebriari, aut uicini thorum uiolare. Nunquid plus poterit humana uirtus in tolleendo timore offensionis, quam diuina uirtus, diuinum munus, supernumq; praesidium? Nullus arbitror qui cere recteq; sapiat, id dicturus est. Et ut de timore nonnulla paucis perstringamus: triplice dicimus esse timore, diuimum, humanum, munidanum. Diuinus, quidam perfectus, & quidam (ut uisum est) imperfectus, & uterque erga deum est reuerentia. Et ut est, ita diuinæ innititur sapientia: & perfecto & imperfecto differunt: non substantia, sicut nec obiecto. Humanus timor, est qui homini secundum naturam inest, & de eo praesertim loquimur, qui est quedam humana reuerentia. Et is similius duplex, perfectus & imperfectus. Imperfectus, ut in adolescentibus probæ indolis beneq; natis & bene educatis erga patres. Perfectus, ut in eisdem uiris & humana prudentia perfectis: & hi ut sunt, ita humanæ, id est, quæ secundum hominem est, innituntur prudentia: & hi humani substantia sunt idem, ut & obiecto: sed perfecto & imperfecto dissident. Sed hi à timore diuino substantia differunt, sicut & obiecto, & prudentia humana à diuina. Timor mundanus, siue erga diuinam siue erga humana, timor est præter naturam: ut circa humana, ut in adolescentibus prauæ indolis, malæ natis, aut male educatis, & in eisdem factis uiris. Circa diuinam, ut in filijs inobedientiæ: & hic continuum habet cruciatum, qui si extinguitur, ad omne facinus laxant habenas, neq; illi paretes, neq; icti deum, neq; Acheronta timentes. Et hic timor longo interuallo ab humano, & multo magis à diuino qui primus præcipuusq; timor est, substantia differt, ut &

Cap. IIII. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

obiecto; sed & secundus timor & tertius inter se differunt, ut & pœnæ temporales, & pœnæ perennes, quæ horum & illorum obiecta sunt timoris. Primus est filiorum dei: secundus, filiorum hominum, qui & filii sunt naturæ, & non degeneres: tertius filiorum mundi. Primus est supernaturalis: secundus naturalis: tertius infra & præter naturam. Ille diuinus, iste humanus: hic diabolicus: ille perficiens, iste præparans: hic destruens. Ille & iste, liberales & filiales: hic illiberalis & seruiliis: ille & iste, suo modo prudentium & bonorum: hic stultorum & malorum. Et licet bonus timor qui reuerentia est, & amor uicini sint, & perpetui asseclæ & comites: amor tamen obiectum habet bonum & ratione boni, & timor boni ratione maiestatis aut simpliciter aut in uestigio. Pater in hoc imitatur maiestatem, quia post deum dat esse, & huic reuerentia & timor debet humanus. Et hinc pendet discrimen & differentia timoris & amoris, quæ adeò propinquæ & germanæ sunt, ut uix internoscatur discriminis nota. Ex his (nisi mea fallit opinio) poterit quis prope modum recte philosophari de timore & partim de amore. Sed parum est de his, etiam recte philosophari: at magnum omnino in his se bene exercere. Qui bene amant, qui bene timent: obiectum semper sursum habent, & nunquam ima respiciunt pro scopis: qui male, semper ad ima pro obiectis & scopis demittunt oculum. His itaq; positis de timore, & de perfecta charitate quæ deum primo respicit ut ueritatem, & proximum ut imaginem: quædam quasi nonnulla superiorum recapitulans, subnectit Ioannes:

70 " Nos ergo diligamus deum, quoniam deus prior dilexit nos.] Diligimus deum dei dilectione, quia nos prior dilexit, neque aliter hoc modo diligere possumus: quandoquidem quæ in nobis est (ut numero 66, dictum est) diuina dilectio, reflexio est dilectionis eius. Diligamus etiam eum, quia prior nos dilexit, & illa sua dilectione nos ad diligendum attrahit, ut lux oculum ad uidendum. Diligamus, nō quia nos, sed quia ipse, id est, non nos, sed ipsum attendendo: nō propter nos, sed propter ipsum & suam dilectionem, quæ tanta est, tam diuturna, ut infinite, & ab æterno diligere non destiterit nos usq; ad horam creationis nostræ, quos in charitate & dilectione, & ad charitatem & dilectionem creauit, creatos continet, quibus sua charitate & dilectione prouidet omnia bona tam corporis quam spiritus. Et haec dilectio, qua ex ueritate debemus diligere deum: pura est eius dilectionis qua nos diligit reflexio in ipsum, non nos attendentes, sed ipsum solum, ut & dictum est. Alia est quæ ex imagine resilit in deum, & haec dilectio fraterna est, quæ & proximi dilectio nominatur. De qua subdit Ioannes:

71 " Si quis dixerit quoniam diligo deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligat fratrem suum quem uidet, deum quem non uidet quomodo potest diligere?] Deum quam diu sumus in hoc mundo, non nisi fide cognoscimus, non nisi in imagine uidemus. Imago autem dei homo est: maxime is qui fide ad imaginem dei est reformatus. Creauit, inquit, deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Et homo christianus, non teletis, initiationibus & sacramentis modo exterioribus, sed & fide & spiritu innouatus, est dei imago, & ut dei filius. Nam ut filius secundum carnem, exprimit patrem carnalem: ita spiritualis, deum. Qui ergo fratrem non diligit, falso dicit se diligere deum, quem frater creationis origine & magis sacris consummationibus, gratia, fide, iustitia & reconciliatione quæ pax deit, exprimit, quia qui odit imaginem, & id nō amat cuius est imago, id est, ipsam ueritatem. Amor dei ad nos, est lux in sole, amor nostri ad deum, est lux oculi: amor fratris ad nos; aut nostri ad fratrem, lux in speculo: lux dico amantis ad amatum uibrata, & ab amato reuibrata, unde fit ut omnium sit idem amor, etsi ab ipso fonte amoris qui est summa charitas, in alijs uarie suscepimus: estq; omnis amor

amor & qui ad deum & proximum est: primi qui est absolutus amor, imago. Et quomodo ergo si non amas imaginem, id est fidelē quem uides, amare potes imaginis autorem, ac ueritatem ipsam quam non uides? Et certe omnes se mutuo diligēt, nisi ipsa imago deformata esset, aut in eo qui odit, aut in eo qui oditur, aut in utroq; ut in Cain potius deformata erat imago quam in Abel: in Lamech autē & Cain in utroq; deformata. Et hæc in eis in similitudine dicta sint. Nunquā christianus non diligenter christianum, ne dicam odire, nisi alter aut uterq; suam generationem corrupisset, & adulterasset diuinam imaginem, regiumq; numisma. O deploranda dies, qua diuinam perdimus imaginem. O infelix & summe miserum peccatum, & nostrum quodammodo magis quam primi parētis, quo perfectio rem obscuramus, uiolamus, adulteramus imaginē. Quod haud dubio facimus: si aut deum aut fratrem non diligimus. Nimirū ergo dedit saluator mundi pulchræ generationis autor præceptum de diligendo deo, & non solum de diligēdo deo, sed & pariter fratre diligendo. Quod præceptum subiungit Ioannes, dicens:

72 Et hoc mandatum habemus à deo, ut qui diligit deum, diligat & fratrem suū.] Hoc præceptum: Qui diligit deum, diligat & fratrem suum, Ioannes à deo, id est à CHRISTO audiuit & accepit: quod nobis communicat ut simus in dilectione dei super omnia, & in dilectione fratrum propter ipsum feruentes. Nam frater ipius, eiusdem filius & imago est, non à se, sed à deo: & sic nos ipsos propter deum, & nō propter nos diligere debemus. Etsi est tibi cupido salutis, breuis est uia: Dilige deum, dilige proximum, & utruncq; pure & pro decētia, & securus uitæ esto. Et quamvis hoc diuinum munus sit, non nostrarum uirium opus: nullis tamen diuino tractui qui uasa disponit & capacia facit non reluctantibus negat illud deus, quia charitas est, cuius proprium est sic dilectionē infundere, ut luci lucere. Charitas, est uia uitæ, & unica uia, certissima, breuissima, et deo placidissima: quā omnibus largiri dignetur, ut ab omnibus in charitate glorificetur, qui solus uera charitate mentes hominum illuminat ad uitam, & uiuificat ad gloriam, quicquid in cœlo & in terra uiuit: cui honor, gloria & potestas patri, filio, & spiritui sancto in omnia seculorum secula. Amen.

CAPVT QVINTVM.

- 73 MNIS qui credit quoniā IESVS est
74 CHRISTVS, ex deo natus est. Et
75 omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eū qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quoniā diligimus natos
76 dei, quū deū diligamus,] & mandata eius[faciamus.]
77 Hæc enim est charitas dei, ut mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Quoniā omne quod natum est ex deo, uincit mundum: & hæc
78 est uictoria quæ uincit mundū, fides nostra. Quis est
aut qui uincit mundum, nisi qui credit quoniā IESVS
79 est filius dei? Hic est qui uenit per aquam & sanguinem IESVS CHRISTVS: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur quoniā
80 [CHRISTVS] est ueritas, — Quoniam tres sunt



ANNOT.
diligimus, ἀγαπῶμεν
τὰς ἐντολὰς, εἰς
fra. seruamus, τηρῶμε
μεν.

spiritus, τὸ πνεῦμα.
Hæc particula tēpore
Hieronymi Graece ha
beatur.

Cap. V. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

qui testimoniu[m] dant in coelo: pater, uerb[u]m, & spiritus sanctus: & hi tres unu[m] sunt. Et tres sunt qui testimoniu[m] dant in terra: spiritus, aqua, & san-
 81 guis; & hi tres [unum] sunt. Si testimoniu[m] ho-
 minum accipimus: testimonium dei maius est.
 Quoniam hoc est testimonium dei, quod ma-
 ius est, [quoniam] testificatus est de filio suo.
 82 Qui credit in filium dei, habet testimoniu[m] dei in se. Qui nō credit [filio,] mendacem [facit] eum, quoniam nō [credit] in testimonium quod
 83 testificatus est deus de filio suo. Et hoc est testi-
 monium quoniam uitam æternam dedit nobis
 84 deus; & hæc uita in filio eius est. Qui habet fi-
 lium dei, habet uitam; qui non habet filium dei, ui-
 75 tam non habet. Hæc [scribo] uobis, ut sciat is
 quoniam uitam habetis æternam, [qui creditis]
 86 in nomine filij dei. Et hæc est fiducia quam ha-
 bemus [ad deum:] quia quodcunq[ue] petierimus
 87 secundum uoluntatem eius, audit nos. Et sci-
 mus quia audit nos quicquid petierimus; scimus
 quoniam habemus petitiones quas [postulamus]
 88 ab eo. [Qui scit] fratrē suum peccare peccatum
 non ad mortem, [petat: & dabitur ei uita, pec-
 89 cant] non ad mortem. Est peccatum ad mor-
 90 tem: non pro [illo] dico ut roget quis. Omnis
 [iniquitas] peccatum est, & est peccatum ad mor-
 91 tem. Scimus quia omnis qui natus est ex deo,
 non peccat; [sed generatio dei cōseruat eum,] &
 92 malignus non [tanget] eum. Scimus quoniam
 ex deo sumus, & mundus totus in maligno posi-
 93 tus est. Et scimus quoniam filius dei uenit; & de-
 dit nobis [sensem] ut cognoscamus [deū uerū,]
 & similiis [in uero filio eius.] Hic est uerus deus,
 94 & uita æterna. Filioli, custodite [uos] à simu-
 lachris.

COMMENT. IN CAP. QUINTVM.



Xijs qui ueniebant ad sacram baptismum, quidā fīcte aggredieban-
 tur, & non credebant IESVM esse CHRISTVM, esse Messiam qui
 promissus erat mundi saluator; & hi ex deo non recipiebant gene-
 rationem. Qui autem non fīcte ueniebant, sed ut catechumeni ad
 fidem instructi abluti sacris undis, firma fide, spiritum fidei accipie-
 bant, credebant IESVM esse CHRISTVM, esse Messiam promissum, & mundi
 redemptorem,

ANNO T.
 ad unum, εἰς τὸ ἔτος.

quod, οὐ.

deo, τῷ θεῷ. fecit, πεποίκι-
 ησε, credit, πεπίσευκε.

scripsi, ἔγραψα. τις creditis
 in nomine filij dei, τοῖς πιστεύ-
 ουσιν εἰς τὸ ονοματόν Υἱοῦ τὸ
 Θεοῦ. εἰς τις creditis, οὐ γάρ
 πιστεύετε,
 ad eum, προσ αὐτὸν.

postulauimus, ἤτικαμεν.
 Si quis uideat, εἴρητι σοι.
 petet, & dabit ei uitam peccan-
 tibus, αὐτήσει, οὐδὲ δώσει αὐτῷ
 γάρ τι μεριστόν γένεται.
 illo scilicet peccato, ἐκείνης.
 & δικία. τι non, οὐ.

sed qui genitus est ex deo, seruat
 seipsum, καὶ διγεννηθεὶς ἐν τῷ
 Θεῷ τῇ τοῦ οὐτοῦ. tangit,
 αὐτὸν.

intelligentiam, διάνοιαν. cum
 qui uerus est, τὸν αὐλαθινόν.
 in eo qui uerus est in filio, γνῶν τῷ
 αὐλαθινῷ τῷ Υἱῷ. uosipso,
 εξ αὐτούς.

rēdemptorem, & quae de eo ipsis annūciantur: & hi diuinam percipiebant generationem. De quibus subdit Ioannes, dicens:

73. Omnis qui credit quoniam I E S U S est C H R I S T U S, ex deo natus est.] Primi eorum qui paulo ante dicti sunt, euadebant hæretici, dei inimici, & uere regenitorum persequutores: secundi uere fideles, tam dei qui pater est huius generationis, quam omnium filiorum eius amatores. Nō enim plenè credidissent, nisi dilexissent eum ad quem ueniebant: & si eum diligebant: & natos etiam ex eo, quorū generationis se participes effici gaudebant. Propter quod subdit Ioannes:

74. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo.] Is qui genuit, pater est, & cœlestis, & super omnes pater: is qui genitus est, filius: & hic duplex, filius πρωτογενής καὶ υπερογενής, id est, primogenitus & postgenitus. Primogenitus qui idem deus est: & quia deus est, regenitorū pater est, & ut pater amandus. Et sp̄ritus sanctus, quia deus est, regenitorū pater est, & ut pater amandus, una eadē charitate qua pater ille ingenitus, & qua primogenitus: adeò ut non abs re intelligamus deum filium mandasse hanc regenerationem fieri, in nomine patris, & filij, & sp̄ritus sancti, ut hi tres intelligentur unus nostræ generationis autor, unusq; pater. Et primogenitus qui non potest esse nisi primogenitus, nostrū baptisma suscepit: ut sanctificaret omnes postgenitos. In terra primogenitus frater inter multos fratres: in cœlo primogenitus dei, & regeneratorum pater. Et quia idem in cœlo & in terra: ideo ut primogenitus frater non solum diligendus est ut postgeniti fratres, sed ut deus generationis autor & sanctificator. Et qui amat æternæ generationis ingenitum patrem, æque atq; patrem, hunc primogenitum qui ex eo natus est amat. Et omnem alium qui ex deo natus est, suo modo, & ut post genitum: de quo quidem sic àdeo genito quod postgenito, potissimum intelligebat Ioannes cum dicebat: Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo: siquidē primogenitus, & sp̄ritus sanctus cum patre collocantur, & hic, patris & eius qui genuit nomine comprehendunt. De nobis igit qui sumus nati ex deo, sed non primogeniti, uerum in primogenito regeniti, subdit Ioannes:

75. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos dei, quum deum diligamus, & mandata eius faciamus.] Ratio diligendi natos ex deo, est dei dilectio. Dilectio autem dei, habet mandatorū eius obseruationem: neq; enim hunc uere diligis, cuius præcepta contemnis aut negligis. Et cum dilectio dei, sit ratio amandi eos qui dignūtur ex eo, quandoquidem qui uere diligit patrem, diligit & eum qui ex eo dignitur: ex dilectione ergo dei cognoscimus dilectionem erga filios eius. Sed & dei dilectio cognoscitur ex prompta & expedita obseruatione mandatorum eius (nam in talibus sp̄iritus dei operari cognoscitur) quæ facientibus factu leuia sunt, & uera lætitia plenissima. Quod & subdit Ioannes, dicens:

76. Hæc enim charitas est dei, ut mandata eius custodiamus, & mandata eius gratia non sunt.] Dicebat saluator, ad sua præcepta uocās quæ sunt mandata fidei, & sp̄iritus & gratiæ: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me quia mītis sum, & humili corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum em meum suave est, & onus meum leue. Iugū mundi graue est, & onera eius grauia: sub quibus multum laborant & uexantur mundani. Iugum mundi, iugū seruitutis, carnis & peccati. Iugum C H R I S T I iugum libertatis, sp̄iritus & gratiæ. O q; hoc leue, quam illud graue. Deponant ergo illa onera, & accipiāntur mandata domini, quia leuia & suauia. Mandata domini sunt: ut ex dono suæ fidei & gratiæ mites simus & humiles corde, ut diligamus. Hæc ne grauia; Benignitas è cœlo infusa, cui grauia

est: Humilitas corde cui onerosa? Vera dilectio cui insuavis? Qui hæc habet, obseruat dei mandata, & nō tam ipse quām gratia in eo efficax, quām gratia quæ in eo est. Et hæc habere, est dei mandata custodire, & uera dei charitas. Et nemo nō habet, nisi qui non plena fide ac fiducia uenit ad CHRISTVM. Venite, inquit, ad me, & ego reficiam uos. Et qui sic uenit ad CHRISTVM, ex deo natus est, & est mundo superior; & deposito iugo seruitutis carnis & peccati, iugo mundi & sarcinæ eius, in deo est uictor. Ob quod subdit Ioannes:

77. Quoniam omne quod natum est ex deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra.] Sicut oriente sole discutiuntur, euincuntur & euanescent tenebrae: sic plena in CHRISTO fide in cordibus nostris exorta, uincitur mundus, caro, peccatum: spes enim ea calcat, ut in quibus nihil fidit; & charitas omnes concupiscētias carnis exurit. Et nullus alius uincit mundum, nisi qui fide uenit ad CHRISTVM. Et qui ante aduentum eius uicerunt, ut patriarchæ, ut prophetæ, & qui in lege sancte conuersati sunt, in prælibatione, illustratione, aut in uictoria fidei eius uicerunt. Patriarchæ prælibauerūt, prophetæ illustrati luce CHRISTI, & sine reprehensione in ueteri lege conuersantes: in umbra fidei CHRISTI mundum uicerunt: siquidem lex uetus, umbra nouæ: & fides fidei. Et imperfecte quidem uicerunt, si ad eos conferamus qui in luce & ueritate uicerūt: quæ est aperta & denudata per spiritum dei fides CHRISTI. Hinc ait Ioannes:

78. Quis est autem qui uincit mundum, nisi qui credit quoniā IESVS est filius dei?] Qui credit fide uiua & perfecta IESVM esse filium dei, & reliqua quæ de eo sunt credenda: hic perfecte uincit mundum magis quām patriarchæ, quām prophetæ, & quām quicunq; aduentum eius præuenientes, ipsum non uenisse uiderunt, et si uenientrum fide uiderunt: sed hanc sibi uictoriæ non tribuat, uerum fidei. Nam fides quæ ei desuper data est uincit, non ipse. Hæc est uictoria nostra, & deus suo munere in nobis uincit, ut ipsi soli tribuatur gloria, & contemplatione solius beatitudinis eius, colliquescat omnis fidelium anima. Sed sunt nonnulla alia credenda, & ad hanc longe uictoriæ fidem spectantia, quæ subnectit Ioannes:

79. Hic est qui uenit per aquam & sanguinem IESVS CHRISTVS. Nō in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur quoniā CHRISTVS est ueritas.] Non solum debemus credere quod IESVS est filius dei, sed et quod est uere homo, uere baptizatus in ueritatem nostri baptismatis & nostræ regenerationis: & hoc est ipsum uenisse per aquam. Et quod uere passus & mortuus in remissionem peccatorum nostrorum: & hoc est ipsum uenisse per sanguinem. Credimus ergo IESVM CHRISTVM filium dei, credimus unum baptismum eius, credimus peccatorum remissionem in sanguine eius. Et spiritus sanctus de cœlo missus testatur. Et quid testatur? Quod CHRISTVS est ueritas: siue ut Græce ὁ τὸ πνεῦμα ἐσιψήλατο, quoniā spiritus est ueritas, ac dicamus: Spiritus est qui hæc de CHRISTO testificatur, ergo recipienda, quia spiritus est ueritas. Et adhuc quod IESVS sit deus dei filius: & pater, & ipse, & spiritus sanctus in cœlo sunt testes. Et quod sit homo testificant super terram, baptismus eius, mors sanguinis pro nobis effusio, & spiritus quem moriens commendauit in manus patris eius, dicens: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc subdit Ioannes, dicens:

80. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo: pater, uerbum, & spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt.] Hi tres, pater, uerbum, & spiritus sanctus, sunt unum essentia & natura, & insuper unū, uere diuinitatis testificatione, id est, unum testimonium. Sic spiritus è moriente ad claustra inferni emissus, & aqua, & sanguis

sanguis unum sunt testificatione, quod uerè est homo: & unum, siue ut Græcus habet ἡστὸν, ad unum, id est, unum ad eandem rem, ad idem testimonium, non unū essentia ac natura. Et nō solū pater de filio suo testis est in cœlo: sed & de eo quod filius eius sit, testatus est super terram. Quod subiungit Ioannes dicens:

81. Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est: quoniā hoc est testimonium dei quod maius est: quoniā testificatus est de filio suo.] Scriptum est in lege testimonium hominum esse recipiendū: tanto magis & testimonium dei recipiendum est, quandoquidem maius est hominum testimonio: immo tantum, quo nullum maius esse potest. At testimonium dei supra terram, quod Iesus filius dei sit, sāpius est acceptum, ut in baptismate à Ioāne testatus est, spiritu sancto immanente & requiescente super eum, & in transfiguratione, & aliās. Est ergo testimonium dei, Iesum esse filium dei. Quapropter qui credit in filium dei, recipit testimonium dei in seipso. Qui non credit, non credit testimonium dei, nisi hilo pluris ipsum faciens atq; mendacium. O infanda cæcitas, & horrenda, & nimium execranda infidelitas. Quod subiungit Ioannes, dicens:

82. Qui credit in filium dei, habet testimonium dei in se. Qui non credit filio, mendacem facit eum, quia nō credit in testimonium quod testificatus est deus de filio suo.] Si homo homini quicq; testificatur, hic illius recipit testimonium, si eum ueracem putat, sin reiçit, perinde atq; mendacem habet, & quod testatur tanquam mendacium: & hoc est ipsum mendacem facere, eius testimonium non recipere, & pro mendacio ducere. Sic est cum quis testimonium dei recipit aut reiçit: qui recipit, habet deum tanquam ueracem, qui reiçit, tanquam mendacem: nimis deo blasphemus qui mendax esse non potest. Et nō solum testatus est deus Iesum esse filium dei: sed & ipse per filium, quod qui audit filium, & in se credit, habet uitam æternam. Inquit enim: Amen amen dico uobis, quia qui uerbum meū audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam. Hoc testimonium subdit Ioan-nes, dicens: Ioan. 5.

83. Et hoc est testimonium, quoniam uitam æternam dedit nobis deus, & hæc uita in filio eius est.] Hanc uitam æternam dat nobis pater, sed non simpliciter nobis, ne quis sibi ipsi merito suo & dignitati suæ id adscribat, sed in filio: tanta est enim dilectione & dignitate filius apud patrem, ut quicquid est illi in altera naturalium simile ad ipsum ueniens, simili uita uelit uiuere, qua ipse uiuit. Sed ipse filius in semetipso, cetera uero nō in semetipsis & propter se ipsa, sed in ipso, et propter ipsum. Sicut, inquit, pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso. Ipse solum uiuit propter patrem. Sicut, inquit, misit me uiuēs pater, & ego uiuo propter patrem. Nos uero non solum propter patrem, sed & propter ipsum, estq; mediū quo à patre nanciscimur tam admirabile donū, quod est super omne donum & excedēs omne bonum. Necq; quisquam hac uitā uiuere potest in patre, nisi hanc uiuat in filio & per filium. Et ideo subnectit Ioannes: ibidem. Ioan. 6.

84. Qui habet filium dei, habet uitam. Qui non habet filium dei, uitam non habet.] Qui habet, id est, qui credit in filium, habet uitam æternā. Et ex opposito, qui non habet filium dei, non habet uitam æternam. Ante incarnationem filij dei nemo hominum potuit hac uita uiuere, quia in filio incarnato hoc munus hominibus datum est, ut illius uitæ possent esse capaces: neq; in alio homine, etiā si nunq; homo peccasset. Nam nullus habet uitam in semetipso ut pater, nisi idem sit filius dei. Quare si homo ad uitam æternam creatus fuit (fuit etenim, & etiā multo magis si non peccasset quam cum peccauit) filius dei incarnandus erat: sine quo uita æterna haberet non potuisset. Hæc est iuxta Paulum sapientia quæ abscondita est, 1. Corinth. 2. quam prædestinavit deus ante secula in gloriam nostrā. Et rursus ad Timotheū 2. Timoth. 1.

dicit hanc esse gratiam quæ data est nobis in CHRISTO IESU ante tempora secularia: manifestatā autem nunc per illuminationē saluatoris nostri Iesu Christi.

Titum 1. Et ad Titum, hanc dicit spem uitæ æternæ quam promisit qui non mentitur deus ante tempora secularia: manifestauit autem temporibus suis uerbū suum. Et multa id genus in sacris literis. Magnificemus ergo solam illius diuinæ bonitatis immensitatem, qui nos ad uitam æternam creauit, et qui nostram naturam tantum in filio suo incarnando dilexit, ut ne ob nostram quidem leprā eam abhoruerit, neq; ab incarnationis proposito destiterit, natura quidē nostra primum pura, & sine lepra in uirgine dei matre reperta, quæ primum impura & leprosa fuerat in prima Eva uirgine, tandem tamen in futura omnium hominū parente. Primitū dico pura in uirgine, unde tabernaculum fieret filio dei, per quem sanaremur, & sanati uitam, ad quam ante peccatum creati fueramus, ad ipsiceremur. Per peccatum nō solum omnia dura, aduersa, & plus quam dura patiuntur homines: sed ob ipsum, eadem

Psal. 44. filium dei pati oportuit, & eundem qui solus erat speciosus forma præ filijs hominum, solus sine macula, ut leprosum uideri. Ecce inquit propheta, nos reputauimus eum quasi leprosum & percutsum à deo & humiliatum. **Esa. 53.** Et hoc ut pater misericordiarum in miseratione filij sui, miseraretur nos leprosos: quales nos miseris fecerat ipsum miseria miserius peccatum. O solus nobis necessarius dei filius. O nostra in eo solo sola felicitas. Absit ut diabolo aut semini eius quod est peccatum: necessitatem aut felicitatem ullam tribuamus, aut ullam aduentus filij dei ad dannum hominibus uitam æternam esse causam. Quod non est, subsistentiamq; non habet: quomodo causa subsistentiæ esse potest? Sed id totum (ut par est) dei filio, quia ab eo solo, propter ipsum & in ipso solo habemus redemptionem, à lepra curationem, & à morte peccato illata uitā æternam quæ nostræ creationis finis erat. Et ut hucus tanti beneficij quæ uita æterna est in solo filio dei, consciūsimus & memores; ad eos, id est ad fideles ad finē usq; mundi scribere se Ioannes dicit, subdēs:

85 „ Hæc scribo uobis, ut sciatis quoniam uitam habetis æternā, qui creditis in nomine filij dei.] Ut incarnationis filij dei necessaria fuit ad finem creationis mundi, ita fides, id est à spiritu dei infusa credulitas in filium dei necessaria: quia si ut uita æterna non datur nobis in patre, nisi mediante filio: sic uita æterna non datur in filio nisi mediante spiritu suo, id est sine fide. Si non habes uitam in filio, nō habes in patre. Si non credis in filium, non habes uitam in filio. Et qui habet uitam in filio, prorsus ad patrem accessum habet, ob quod certam & omnino indubitatam habet fiduciam. Quod subiungit Ioannes, dicens:

86 „ Et hæc est fiducia quam habemus ad deum: quia quodcumq; petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos.] Fiducia quam habemus ad patrem est certa & indubitata quod audit nos secundum uoluntatem filij: & quicquid petimus ab eo, uult pater si uult filius, ne tribuamus uoluntati nostræ, quod sapientiam, quod illuminationem, quod omnem gratiam quam petimus habemus à deo, sed uoluntati benedicti filij eius, ut omnes glorificemus filium sicut & patrem, & illi in omnibus gloria & gratiarumactio tribuatur sicut & patri. Verū fideles ipsi qui ueritales sunt & spirituales, quū quicquam petunt: non tam ipsi, quam spiritus qui uoluntatem dei nouit petit in eis. Et ideo quicquid petūt, semper petunt secundum uoluntatem eius. Et ne diffidamus uerè credentes in filium, patrem audire, & petitiones eorum exaudire, addit Ioannes:

87 „ Et scimus quia audit nos quicquid petierimus. Scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.] Et nō solum audit: sed postulata accipimus ab eo per filium, quæcumq; accipimus. Et quodcumq; inquit, petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Dat igit̄ filius quæ accepimus à patre,

à patre: & si quid accipimus à patre, hoc est per filium. Ideo qui non credit in nomine filij dei, nullum magnificum donum à patre accipit, quia illud non dat, nisi per filium, & etiam dante filio. Et dat exemplum Ioannes, ut si quis expiabilē incurat offendam, & ipse aut frater eius eam forte melius agnoscens, quam ille qui admisit, petat à patre in nomine filij eius remitti; id donat pater filio, & remittit illum filius. Quod & ait Ioannes, dicens:

88. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei uita, peccantī non ad mortem.] Multa sunt in quibus ob impotētiam humanācē fragilitatem peccant homines, ut id forte quod Corinthius peccauit in nouercā: & multa in quibus peccant per ignorantiam, ut quod Paulus blasphemabat & persequebatur ecclesiam. Et qui illo modo peccant, quū resipiscūt, & ipsi aut fratreis eorum, in fide & spiritu C H R I S T I condonari petunt, remittitur eis, ut Corinthio, in quem petit Paulus post offendae condonationem, charitatē confirmari, & ipse de se ait: Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Sunt etiam qui peccant peccatum ad mortem, qui nunquam resipiscūt, qui non ex impotentia, non ex ignorantia, sed ex obstinata & indurata malitia peccant, ut scribæ & pharisæi qui uidebant opera dei in C H R I S T O, & mallebant illa adscribere per inueteratam malitiā, odium, & inuidiam diabolo quam deo, dicentes de eo: In principe dæmoniorum ejicit dæmonia; & pro talibus, non uult spiritus C H R I S T I à deo quicquam esse petendū. Nam qui taliter peccant, in spiritum sanctum peccant per certam & affectatam malitiā. De quo dicitur: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autē blasphemia non remittetur. De quo subdit Ioannes, dicens:

89. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.] Ut non omnes morbi sunt ad mortem, sed omnes aut ad infirmitatem aut ad mortem: quia ijs qui ad infirmitatem duntaxat laborant, hi aut propria aut aliorum adhibita cura conualescunt: at patientes qui neq; uolunt propria diligentia, neq; aliena cura leuari morbo iam inueterato, & in consuetudinem uerso nunquam curant, sed est morbus ad mortem. Sic est de peccatis quae non sunt cōtra sp̄ritum sanctum, & quae sunt in sp̄ritum sanctum. Et ut morbis qui sunt ad infirmitatē, id est qui sunt medicabiles, pleriq; moriuntur nō adhibita cura: sic peccatis quae nō sunt ad mortē, immedicabilibus autem aut ipsis, aut cum ipsis moriuntur: sic inexplabilibus peccatis. Sed ut qui curabili morbo laborant, plerumq; multa molesta, medici ordinatione ferenda sunt: sic & plerumq; de peccatis non ad mortē. Verum quia quae molestiae, & quae afflictiones iuxta diuinam uoluntatem ad carnis mortificationem perfere debeant qui peccauerunt, sed expiari possunt, ignorant: ijs qui sunt ministri orationis aut reconciliationis, si quid superest, diuinæ relinquent pietati. Et proinde qui se sic aliquando peccasse sunt conscij, & uere resipiscētes ad orationis opem & reconciliationis gratiam uenerunt: quicquid eis molestū euerit, siue morbus, siue agrorum infertilitas, siue facultatum iactura, siue liberorū orbatio, siue iniuria & contumelia, & quicquid aliud aduersum fuerit, tolerare debent patienter, tanquam poenae illae ex manu dei sint, & illis necessariae ad spiritualiorem uitam, & gratias agere sapientissimo medico, qui nouit omnium modorū & temporū medelas. Omnia aduersa & ipsi & iusti fideles delectabiliter in patientia portant ad crucem carnis & mortificationem, ne qua prava radix sursum germinet: sic cœlestis agricola palmites in C H R I S T O fructum ferentes purgat, ut fructus plus adferant. Sic Dauid ex adulterio Bathsabæ purgatus est: molestissima perfrrens (etsi peccatum illi translatum esset & dimissum) & filij orationem, & coniugum oppressionem, coronæ humiliationē, & à proprio filio fugitiuus persequu-

1. Corin. 5.
Act. 8.

2. Corin. 2.
1. Timo. 1.

Marci 3.

Matth. 12.

Ioan. 15.

2. Reg. II.

Cap. V. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

tionem: sic nouit deus in suis carnē domare, ut spiritū magis subiicitur. At qui peccant ad mortem, hi & medicum contemnunt, & ad iustificationes non confungiunt, & quæ alij patienter, molesta non perferunt, & si quid agunt, non in fide et charitate quæ sursum solum suum scopum habent, sed aut amore sui aut timore poenæ, quem & plerūq; ob obstinatam infidelitatem prorsus extinguent & desponunt. Et hi sunt maxime qui peccant peccatum, quod ad mortem dicitur peccatum. Ideo de talibus probe dixit Ioannes: Non dico ut pro illo scilicet peccato oret quis, roget quis, petat quis ut dimittatur, quod idem est. At quia tale peccatum spiritui contra quem sit notum est, hominibus autem ignotum nisi spiritu reuelante: ideo fideles pro omnibus peccatoribus etiam ad mortem peccatis orare debent, ut diuina pietas adducat eos ad suæ iuuificationis gratiam, non tam peccatum quām naturam attendendo: nam pro peccato ad mortē rogare, ut sic peccanti dimittatur, haec stulta & uana petitio. Sed quod non omne peccatum quod est legis mandatiq; transgressio, sit peccatum ad mortem, docet Ioannes, dicens:

90. " Omnis iniuitas peccatum est, & est peccatum ad mortem.] Idem esse intel ligatur siue dicamus omnis iniustitia peccatum est, quod magis Graece & vnuia de signare uidetur, siue omnis iniuitas peccatum est: quia hic iniustitia et iniuitas, est diuinæ legis transgressio: & omnis talis transgressio, peccatum est. Verum nō omne tale est ad mortem, id est inexpiable et immedicable, quia deus misericors

Esa. 55. est, & multus ad ignoscendum, si derelicta via mala, ij qui peccauerunt ad ipsum in toto corde, plena fide atq; fiducia reuertantur, quos & adiuuat persæpe lachry

Luce 7. mis, tribulatione spiritus, & intime cor discidente dolore, ut euangelicam pec catricem, quæ deus pro sacrificio suscipit, sicut scriptum est: Sacrificium deo, spiritus contribulatus. Est & talium quoddam ad mortem, quod nunquam expiat,

cui nunquam quis medetur, & est eorum, qui (ut dicitur) obstinata malicia peccant, & qui in reprobum sensum dati sunt, non se humiliantes, nunquam reuertentes. Hos deserit coelestis medicus, cui quodcumq; curare uult, nullum est immedicable peccatum, nullum inexpiable. Quod autem secreto suo sancto & iusto iudicio non uult, est inexpiable, ut omnes illi summæ & iustæ potentiae se humiliant. Et haec de peccatis tam qui resurgunt ad gratiam & spiritum, quām qui non resurgunt, sed cum carne moriuntur. Illi partim carnales, sed desinunt in spiritum: hi autem omnino carnales, aut desinentes morientesq; in carne. Nunc de omnino spiritualibus subdit Ioannes, dicens:

91. " Scimus quoniam omnis qui natus est ex deo, nō peccat, sed generatio dei conseruat eum, & malignus non tanget eum.] Non sibi tribuat homo qui natus est ex deo, si non peccat: quia hoc suum non est, sed est diuina generatio, munusq; diuinum, fides & spiritus qui conseruat eum, & qui maligni arcet potestate, ne tangat eum, ne uincat eum, inducat ad peccandum. Quantum est ex se, maxime si externum hominem attendis, semper peccare potest: quia ex se non habet nisi priuam generationem: cui iugiter malignus insidiatur haud secus ac serpens Euæ, multiplicibus gyris se circumvoluens, nisi iugiter protegitur. Secus est si interius respicis hominem, qui totus ex deo est & noua creatio: qui ut huiusmodi, peccare non potest: nam spiritu agitur, spiritus enim est qui agit. Sic hi in quibus internus homo externum obtinet, & nouus ueterem: secundum secundam generationem incedunt, nunquam aspectu generationis autorem relinquentes, qui est aspectus fidei, sine quo nemo potest eum sequi, nemo potest eum imitari, quales erant apostoli, & ij qui solis eorum accepto spiritu fidei, insistebant uestigis. Quod & Ioannes nobis insinuat, dicens:

92. " Scimus quoniam ex deo sumus, & mundus totus in maligno positus est.] Qui perfecte

perfecte spirituales sunt, in admirabili sunt luce, & cognoscunt se filios dei quia filii lucis sunt, cognoscuntq; se ex deo esse. Ex quo enim essent filii, nisi ex patre? Et insuper uidet mundi tenebras: nam & quo modo ipsi sunt in deo & luce dei, sic & rotus mundus & omnes mundani sunt in maligno & in tenebris diaboli. Et proinde & mundum horrent, & mundi tenebras, & eum insuper unde tantæ mundo incubat tenebrae, qui est tenebrarum princeps. Sed unde ipsis evenit, ut sic ipsi & ea quæ ex deo sunt, & mundum & occupationem eius à maligno cognoscant? Nonne à seipsis id habet? nonne suo sensu Minime. A quo nam igitur? A deo, ut & soli deo ex hoc indulto munere laus et gratiarum actio debeat. Idcirco subiungit Ioannes, dicens:

93 » Et scimus quoniam filius dei uenit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus uerum deum, & simus in uero filio eius: hic est uerus deus, & uita æterna.] Hic sensus, hæc mens quam dedit filius dei postquam uenit in mundum, & conscedit ad patrem, spiritus sanctus est; ut hoc sensu, non sensu carnis, non sensu animæ, id est rationis, ne suprema quide in portione quæ mens humana dicitur, sed spiritu sancto mentem illam supra mentem eleuante: uerum deum qui est pater æternus, si deles cognosceret, & fixi stabilesq; manerent in uero deo qui est uerus filius eius, & uita æterna, quæ omnia per spiritum eius, qui etiam uerus deus est cognoscunt. Hic est uerus deus pater, filius spiritus sanctus: cui honor & gloria in seculorū secula. Quum igitur uerum deum cognoscamus, patrem, & filium, & spiritum sanctum: attedamus diligenter ne aliud quicquam colamus quam uerum detum. Ad quod faciendum maxime hortatur ab omni idolo, id est simulachro abstinenti. Quod subnectit hoc pacto:

94 Filioli, custodite uos à simulachris.] Auarus, simulachrum habet diuitias, quas pro deo colit. Ambitious, honorem, & uanum quidem mundi honorem. Intemperans, uentrem & coenolas uentris uoluptates. Superstiosi, simulachra aurum & argentum opera manuum hominum, quæ os habent & non loquentur, oculos habent & non uidebunt: quæ omnia per apostolum spiritus hic prohibere uidet, tam quæ tunc à gentilibus, aut domi, aut foris, aut in phanis, delubris, lucis aut usquam alibi colebantur, quam quæ in futurum declinante fide ritu gentium coli potuissent. Hac prohibitoria adhortatione uetat Ioannes coli quicquid non est deus, cui nullum ponit potest simulachrum. Cui me assimila stis & adæqua stis, dixit sanctus: quia eius nulla sit similitudo, nulla icon. Et scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies, id est, illum solum coles. Sed dices: Arcæ testamenti habebant olim in materiali templo ante quam colebant. Et nos habemus corpus domini arcam testamenti noui in templis materialibus. Esto. Illis arca signum erat præsentis diuinitatis; & ipsi nō signum, sed quod præsens signo indicabatur adorabant. Sic sacramentum corporis, sic arca testameti noui, signum est præsentis qui nusquam non adest CHRISTI. Hic ergo ante signum totum cor effunde ad deum, non signum, sed eum qui præsens est & ubiq; adorans CHRISTUS TVM. Illi ut pro ueritate abusi sunt signo, arca priuati sunt. Nos autem scimus nos hoc signo non priuandos: mortem domini annuntiætes donec ueniat. Ad hoc enim ipsum instituit dominus, ut in memoriam redemptionis nostræ sumentes, illi uniremur, unumq; corpus eius efficeremur. Hoc, inquit, facite in meam commemorationem, de sanctæ & testamentariæ coenæ mystica institutione loquens. Et quanquam spiritualium uera tempora, spiritualia sunt, uos enim templum estis dei uiui, sicut dicit dominus. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos. CHRISTO tamen materialia tempora ob id ipsum deesse non debent, ut illuc fides conueniant, verbum ibi audiant, coenæ domini manducent, id est sancte com-

Psal. 113.

Esa. 40.

Deut. 6.

R 3

municent, memores testamenti uerissimae promissionis, remissionis peccatorum tueri fidelibus in oblatione CHRISTI, qui solus erat agnus dei, qui solus tulit peccata mundi, ubi adoraret salutis totius mundi autorem, sed multo magis in templo spirituali, perinde ac si non sint in materiali: quomodo Petrus & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam, adorabant deum. Quis enim dubitet eos fuisse de numero eorum de quibus dominus dicit: Venit hora & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Et hoc sit cum non in templis materialibus, non in Gerizim, non in Hierusalem, sed in templo spirituali, in CHRISTO & spiritu sancto colitur, non ad signum, sed ad ueritatem. Hic est perfectorum cultus in spiritu & ueritate & uerè fidelium. Multo enim melius deus & CHRISTUS spiritu colitur, quam simulachro: etsi habeat uenerabile inter etiam omnia signa, memorie redēptionis signum. At multa mundi ignorātia, & deus dei scientia colitur, & ipsius ignorantia offendit. Ergo Ioannis dilecti dei discipuli, apostoli & euangelistæ bonum & salutare nobis, per spiritum dei uentura prospicientem, qui neque coartatur temporibus, neque angustiatur locis, præceptū annunciantis sequentes, caueamus nobis ab idolatria tam in uitæ cōuersatione, quæ sunt auaricia, spurca carnis uoluptas, & ambitiosus honor, etsi quid simile, quam in diuino cultu: & simus unius & solius ueri dei cultores, ueri adoratores, adorantes patrem in spiritu & ueritate. Cui honor, gloria, & gratiarum actio per filium & cum filio, in spiritu sancto in omne æcum & super omne æcum, in secula seculorum. Amen.

COMMENTARII IN PRIMAM
Ioannis epistolam, finis.

BEATI IOANNIS

APOSTOLI EPISTOLA SECUNDA.

ANNOT.



ENIOR, electæ dominæ, & [na]tis eius, quos ego diligo in ueritate, & non ego solus, sed & omnes qui cognoverunt ueritatem, propter ueritatē quæ permanet [in uobis, & uobiscum] erit in æternum. Sit uobiscum gratia, misericordia, pax à deo patre, & à CHRISTO IESU filio patris in ueritate & charitate. Gauisus sum ualde quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in ueritate, sicut [mandatum] accepimus à patre. Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio: ut diligamus alterutru. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundū[m] mandata eius. Hoc enim est mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, [in eo] am-

filijs, liberis, & envoie.

in nobis, & nobiscum, & ἡμῖν, οὐδὲ μεθ' ἡμῶν.

mandatum, præceptum, κυριακή, & infra

inuicem, & ἡλούε, mandatum, præceptum, τὸ κυριακόν, in eo, scilicet mandato, κατῆ.